













A. 14815  
R 7743

L I T E R Æ

A.T.A  
1301

CONVENTIONALES

AD ILLUSTRISSIMUM D.D.

A N D R E A M  
D R O V I L L E T,



EPISCOPUM BAYONENSEM, REGI  
Christianissimo à consilijs.

D A T Æ

A B ILLUSTRISSIMO D.D.

E M M A N U E L E  
F R A N C I S C O

NAVARRETE LADRON DE GUEVARA,  
Archi-Episcopo Burgenfi, à consilijs Catholici Regis.

S V P E R

CONSTITUTIONE CLEMENTINA,

incipiente, *Vnigenitus Dei Filius*, edita per

SS. D. N. CLEMENTEM PAPAM XI.

E T S V P E R

APPELLATIONE, INTERPOSITA

per nonnullos ad futurum Concilium Generale.

\*\*\*

(✠)

\*\*\*

---

UALLIS-OLETI, Per Ildefonsum del Riego, Typographum Regie  
Vniuersitatis. Anno 1720.

LITTE RÆ

CONVENTIONALES

AD ILLUSTRISSIMUM D.D.

ANDREAM

DROVILLET

EPISCOPUM BAYONENSEM, REGI

Christianissimo a consilio

DATE

AB ILLUSTRISSIMO D.D.

EMMANUELE

FRANCISCO

NAVARRÆ LADRON DE GUEVARRA,

Archiepiscopo Burgenſi, a consilio Catholici Regis.

UPER

CONSTITUTIONE CLEMENTINÆ,

incipiente, & signata D. Felice, edita per

SS. D. N. CLEMENTEM PAPAM XI.

ET SUPER

APPELLATIONE, INTERPOSITA

per nonnullos ad futurum Concilium Generale.

\*\* (X) \*\*





# ILLVSTRISSE PRÆSVL.



**S**INAT pacatè Vestra Illustrissima Domi-  
natio, quantum, & quandiu licet  
adhuc per Sanctæ Communionis leges,  
vt non qualitercunque Proximus, sed  
limitibus Regnorum Catholicorum vi-  
cinus, & ad onera Pastoralia Senior in  
Christo Frater, ad fraternam corre-  
ctionem, Evangelicis monitis obse-  
quentes, serenâ charitatis fronte con-  
vertamur. Nec V. Illma. D. gravatè  
feret, opinor, vt qui editis prælo ver-  
bis loquutus est ad Ecclesiæ faciem; prælo editis quoque verbis in facie  
Ecclesiæ, Pastor à Pastore, conveniatur. Cum enim ad nostras aures, ma-  
nusque devenerit Mandatum, & Instructio Pastoralis, quâ die 17. Ianua-  
rij anni proxime lapsi 1719. V. Illma. D. suas Oves instruere decrevit, &  
ardenter hortari, vt vnâ cum suo Venerabili Capitulo innovaret Appel-  
lationem interiectam à Constitutione SS. D. N. Clementis Papæ XI. quæ in-  
cipit, *Vnigenitus*: re benè perspectâ, sicut eruditionis, & eloquentiæ di-  
vitiis longè superiores inopiâ nostrâ, facilè demiramur; sic non itâ laudabi-  
li ad stuporem motu corripimur, dum in prato luxuriante doctrinæ, si  
fas ita loqui, monstra expavescimus.

2 Percurramus, si fieri possit, celeri cursu, Articulos per Pa-  
ragraphos, Sententias quasi per Notas perstringamus; id fortè satis,  
Deo auspice, vt liquidò innotescat, quàm sit à Servatore nostro æter-  
num verè prædictum, quicquid supra Petram in ædificationem non mo-  
limur, esse supra futilem arenam machinas in destructionem elevare. Sed  
quia minutissima quæque, cæu granula pulveris tormentarij, dum igne

probantur, miſum in modum dilatari conſueverunt; timor eſt, nè præter intentionem, & præter vſitatas Epistolæ metas, excurrere latè compellamur.

## S U M M A.

3 **I**N exordium aſſumitur à V. Illma. D. cum cæteris opinionis ſuæ Partiarijs, renuendo interim in Prælatorum cœtu Pariſino acceptare præſatam Conſtitutionem, interpoſuiſſe ad Sanctam Sedem ſupplicationem, ut qui Bullam ediderat, interpretari dignaretur; in id inſtituiſſe ſupplices per dies, & annos; nec ſine deſuncti Regis ab initio, modò Principis Regentis, aliorumque vrgentiſſima comendatione; ſed immotum perſtitiſſe SS. Patrem, in denegando huiusmodi Declarationes, non ſine ſeverà increpatione poſtulantium.

4 Hæc tota mali labes, hoc alieniſſimum dicitur à S. Sede, vſurpando dicta Bernardi epistol. 180.; hoc abhorrens à Vicario Chriſti, cum & ipſe Chriſtus non ſic exceperit durè Apoſtolos quondam ita ſupplices, *Ediffere nobis Parabolam iſtam*: hoc præter, imò contrà factam ſpem à Tridentino ſeſs. 25. ſine, per hæc verba: *Quod ſi in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem, quod non credit, aut definitionem poſtulent; præter alia remedia in hoc Concilio inſtituta, confidit Sancta Synodus, Beatiſſimum Romanorum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præſertim Provincijs, vndè difficultas orta fuerit, ijs, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilij Generalis celebratione, ſi neceſſarium iudicaverit, vel commodiore quacunque ratione ei viſum fuerit, Provinciarum neceſſitatibus pro Dei gloria, & Eccleſiæ tranquillitate conſulatur.* Hac de cauſa interpoſita neceſſariò dicitur Appellatio ad Tribunal Eccleſiæ Vniuerſalis.

## C O N V E N T I O.

5 **D**E Appellatione, punctis que intermiſtis, præcipuè verò de Magni deſuncti Regis interpoſitione, dicemus poſteà. Illud è veſtigio diſſimulare non valemus; minimè nos capere, quo ſynceritatis affectu, poſtulantur à S. Sede, vt poſtremum pacis auxilium authenticæ Declarationes per illos ipſos, qui fallibilem eſſe poſteſtantur Sedis eiufdem Præſulem; Declarationes appellatur, & revocationes ſunt, quæ requiruntur. Si Bullæ non adhibetur fides, quantumvis editæ à Summo Eccleſiæ Præſule; quæ adhiberetur fides Decla-  
ratio-



rationibus, etsi ab eodem Præsule Summo intimarentur? Si mera sunt Declarationes, & non potius revocationes in votis; cur saltèm litera non est acceptata, ex quo prodijt, etsi postea desideraretur, pro emergentibus dubijs circa sensum, aliqua ex fonte haurienda declaratio? Numquid Apostoli credere volebant, nisi Parabolam Christus edissereret? Imò scriptum legimus Isaia 7. 9. secundum LXX. *Si non credideritis, non intelligetis.*

6 Nec ad rem allegatio S. Bernardi, qui loquebatur ibi de factis erga Personas, circa quæ omnes fallibilitatem agnoscimus in Supremo Iudicis decretis: de cætero scitum est, qualem epist. 190. infallibilitatem agnoverit S. Pater in Successoribus Petri pro regula Fidei, & morum. In Tridentini sanè decreto nihil non consonat apprimè huic intelligentiæ; nisi prætereà dicatur, adhuc de Concilio Vniversali, & tali, tantoque, appellare fas esse, nescio ad quem, & reluctari suis Fidei decretis. Urget itaque Concilium ibi, ante omnia, decretis suis debitam receptionem; si difficultas emerferit, aut de novo dubia excitentur, quæ declarari postulent, aut defini de novo; *confidit Sancta Synodus Romani Pontificis curæ*, vt per quæ sibi benè visa fuerint media, Ecclesiæ consulat tranquillitatē. Confidamus & nos, & facta est tranquillitas magna.

## §. I.

### S U M M A.

55 7 ART. 1. exponit V. Illma. D. difficultates subortas ex  
” Constit. *Vnigenitus*; depingit excitatam in Gallià suà  
” turbationem; deplorat Hæreticorum præsertim, & recens converforum  
” diætaria in S. Sedem; vertit præcipuè causam, non in damnationem  
” Libri Reflexionum Moralium, in cuius pietatis tamèn, & vtilitatis lau-  
” des effunditur; nec in crudelitatem, & ignominiam, quibus SS. Pa-  
” rens excepit Authorem, etsi paratissimum dedoceri, & revocare com-  
” pertos sibi errores. Causam ergo præcipuè vertit V. Illma. D. in id,  
” quòd agitur de summà rerum, de veritatibus essentialissimis Fidei, de  
” sanctissimis Regulis Moralitatis, de punctis capitalibus propriæ  
” Disciplinæ, de Maximis Regni tuendis, & libertate Scholarum Catho-  
” licarum; contrà quæ omnia conqueritur Vestra Illma. Dominatio  
” cum suis, tendere Constitutionem, ipsius que Censuram in plurimas  
” ex vnà suprâ centum Propositiones Libri præfati, vtpote quæ in peri-  
” culum agere videtur sanam Doctrinam; pro quo accingitur Vestra Il-  
” lustrissima Dominatio ad examen quarundam è multis Propositioni-  
” bus,



„ bus, \* tanquam hoc satis ad oculum, vt liquidò pateat, non se re-  
„ cufare condemnare Errores, Constitutionem recufando, fed tantum  
„ timere proferibere Veritates.

„ 8 Hoc vt præftet, duas præfigit V. Illma. D. regulas pro dam-  
„ nandis, iustificandisve Propositionibus. Quarum altera est, citato Pe-  
„ tro de Marca, fumendam Propositionem in fenfu obvio, & ad men-  
„ tem Authoris, non in fenfu ancipiti, & ad Catholicum, Hæreticum-  
„ ve indifferenti. Altera est, difquirere bonâ fide, conformetur ne, vel  
„ opponatur directè, vel indirectè Propofitio, Scripturæ, Patrum, Ec-  
„ clefiæ precum, & librorum pietatis Propositionibus;

## C O N V E N T I O.

9 **H**OC planè iam est animum depromere, non Declaratio-  
nes defiderantis, fed revocationes; non doceri, fed do-  
cere cupientis; quod cum ex altâ Ecclefiæ Dei Speculâ Summus Præful-  
ritè penetrasset, mirum erit nulli, quod gratas non præstitit aures.  
Excitatas in Gallia turbas, ignorat nemo; Hæreticos, aut tepidè Ca-  
tholicos, vociferari, aut mulsitare contrâ Sedem Petri, creditu est fa-  
cillimum: illud non assequimur, his malis subveniendum feliciter, ali-  
tèr nullâ spè captatâ, si Prælatorum aliqui adèò nobiles à Summo Præ-  
latorum Præfule dissideant. Pietatem redolere Librum Reflexionum Mo-  
ralium, promittere vtilitatem, Orbis agnovit; an sub eâ pietatis, &  
vtilitatis specie, propinaret doctrinæ non sanæ venenum, semper evo-  
catum est in dubium, ac demùm evocatum in condemnationem, à S.  
Sedis Præfide pronuntjatam. Malumus stare dicto illius, cui datum est  
discernere pabula doctrinæ, dum in Petri capite sibi dictum à Iesu, *Pas-  
ce oves meas.* Non latet nos, quàm simulaverit Author in Sanctam Se-  
dem obsequiosam reverentiam; fed quàm fictitiè, quàm imparatus cor-  
rigi, & Epistola ipsa sua, si ritè pensetur, ad Sanctissimum, & eius-  
dem alia impudentissima Scripta satis, supèrque demonstrant, & cum-  
latere non poterit Clementem, quid mirum si Authorem Reflexionum  
durè, affectu licèt paterno increpaverit, iuxta quod ergâ consimiles re-  
belles filios Apostolus indixit Tito 1. 13. *Increpa illos durè, vt sani-  
sint in Fide.*

10 Prælatum Catholicum, qualem in V. Illma. Dominatione  
veneramur, assumere in Monitorio, & Instructione Pastoralis ad suas  
oves.

---

\* pag. 7. Nous en dirons assez, para vous faire voir, que ce ne es pas des Erreurs,  
que nous refusons de condamner, en refusons de recevoir la Constitution, mais de Veritez, que  
nous craignons de proscrire.

oves probandum enixè, Constitutionem Declaratoriam in materia Fidei, & morum, ex Cathedrâ solemnissimè promulgatam à legitimo Vicario IESU-CHRISTI, tam enormitèr agere in periculum sanam doctrinam; id potius enormissimè nobis absurdum est. Optandum magis, quòd regulæ traderentur, quibus detegatur sensus fortè dubius Propositionum confixarum; quàm quibus pro totâ Ecclesiâ damnare Propositiones oportet, quod altioris nostro subfelliij est.

11 Nec Illustrissimus Marca, vt videbitur, aliter loquebatur, aut intendit aliud: sua que regula, & si pro tunc oportuna, vt determinatè censura Hæresis colligeretur, non ita est optabilis ad Centuras omnes præsentis, notæ non æqualis. Sumenda utique Propositio quævis damnata in sensu obvio, & ad mentem Authoris; at vbi sumptâ in se Propositione, sensus obuius est anceps, & ad sanum, & non sanum indifferens; ad mentem verò Authoris, vt per alias Propositiones benè agnitam, potius in sensum non sanum inclinans; quid tam? Cur non censenda iure debitissimo, vt minimum Propositio *captiosa*, prout in Constitutione censurari iussissimè vel minimam ex Propositionibus inibi recitatis, vel nos exponemus?

12 Aptus ad hoc nobis testis egregius Theologus Franciscus Suarez, \* qui in id ipsum duas potiores regulas adhibuit. Alia est: si Propositio anceps in vno sensu refert sensum non discrepantem à doctrina Ecclesiæ, & Theologorum, in alio verò novam doctrinam, & inusitatam; tunc non in priori, sed in posteriori sensu damnata ritè accipitur. Alia est; si vnus sensus cohæreat cum alijs Propositionibus in eadem Bulla damnatis, non verò alter; tunc non in posteriori, sed in priori sensu intelligenda Propositio damnata. Exemplo sint Propositiones aliquæ satis ambiguæ, inter alias, Ioannis VViclef, & Ioannis Hus, pro-ut à Constanciensi, Lutheri, pro-ut à Leone X., Michaelis Baij, pro-ut à S. Pio V. & Gregorio XIII. condemnatæ; exemploque novissimo sint Propositiones Illustrissimi Archi-Episcopi Cameracensis, pro-ut damnatæ ab Innocentio XII.

S U M M A

13 **I**ncipit V. Illma. D. iustificare Propositiones damnatas, à \* 12. & 30., protestando illas in sensu obvio aliud non præferre, quàm quòd *absoluta* Dei voluntas ergà salutem Electorum

\* Suarez *Proleg. 6. de Crac. cap. 2. n. 13.*

\* 12. *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco eff. Aus Indubitabilis sequitur voluntatem Dei.* 30. *Omnes, quos Deus vult salvare, salvantur infallibiliter.*



„rum impleatur semper, omnesque Prædestinatos obtenturos esse salu-  
 „rem infallibiliter; timendumque proinde, ne ipsarum Censura æquæ  
 „cadat in Capitalem Fidei Veritatem, qualis est voluntatem Dei *ab-*  
 „*solutam* impleri semper.

„ 14 Ne verò tales Propositiones coincidunt cum quinta Ianse-  
 „nij, anathematizat in primis V. Illma. D. eos omnes, qui non dam-  
 „naverint quinque Propositiones in eo ipso sensu, quo Ecclesia illas  
 „dannavit; item que omnes, qui renuerint fateri voluntatem Dei ge-  
 „neralem pro salute omnium hominum, simul & specialem pro salute  
 „Fidelium, qui non perseverant.

„ 15 At verò neutrum hoc principium læditur à duplici præsen-  
 „ti Propositione, si hæ accipiantur de voluntate *absoluta* Dei ergà Præ-  
 „destinatos; ut accipi debent, si spiritu æquitatis agendum, ne pari-  
 „tèr involvantur Censurà eadem simillimæ Scripturæ, Patrum, & Ec-  
 „clesiæ in orando expressions, quarum non ignobilia profert V. Illma.  
 „D. testimonia. Illud peremptorium, quod verbatim sumitur ex S. Prof-  
 „pero lib. 1. de Ingratis c. 13. ibi:

„ *Nam si nemo usquam est, quem non velit esse redemptum,*

„ *Haud dubiè impletur, quicquid vult summa potestas.*

„ Vel iuxta Gallicam editionem ab anno 1646. receptam.

„ *Quand Dieu veut sauver le Ame, en tout temps, en tout lieu,*

„ *Le indubitable effet suit le vouloir de vn Dieu.*

## C O N V E N T I O.

16 **E**St totam iustificationis substantiam revocari ad verbum;  
*absoluta*; nempè ad id, quod desideratur in vtrâque  
 Propositione, iuxta editionem à Bulla citatam. Hæc viâ nihil non sanum  
 in erroribus: quis enim adeo erit stupidus error, qui adiuncto verbulo,  
 quo careat, iustificari non posset? Audivimus in editione, vel editio-  
 nibus alijs, non ab Authore, sed ab alijs iussu Eminentissimi Noallij,  
 additam esse vocem, *absoluta*; quod minimè prodest, ut patet, ne ut  
 in editione, vel editionibus non correctis; & per mille exemplaria ef-  
 fusis, iustissimè configeretur digna corrigi doctrina. Quemadmodum quin-  
 ta Iansenij eo sensu intellecta, *ut Christus pro salute duntaxat Prædes-*  
*tinatorum mortuus sit*, iustissimè damnata maneret ad mentem Autho-  
 ris in editionibus suis; & si forsân in alijs corrigeretur, *voluntate ab-*  
*soluta*.

17 Ad rem ut convertamur, cum omnes Catholici convenia-  
 mus in eo, quod ultrâ specialissimam ergà solos prædestinatos de ipso-  
 rum salute voluntatem Dei, detur alia voluntas generalis Dei, de om-  
 nium



niam prorsus hominum salute; cum in Scriptura vna, & altera voluntas habeatur, & vtraque iunctim 1. ad Timoth. 4. 10. vbi Christus asserit, *Saluator omnium hominum, maximè Fidelium*; cum Patres, & Ecclesia sepius aliàs modò vnus, modò alterius, modò vtriusque, pro ratione materiae, meminerint voluntatis; cum Theologi ex D. Thoma 1. p. q. 19. ar. 6. ad 1. post S. Damascenum dilucidè signauerint suo discrimine vtramque hanc voluntatem, alteram ergà prædestinatos vocando absolutam, aut consequentem, aut efficacem, alteram ergà omnes conditionatam, aut antecedentem, aut inefficacem, quæ verò sit de se sufficiens.

18 Cùm hæc, inquam, ità se habeant ex iam communi, & firmo consensu; æquitatis debitæ est aliquas Scripturæ, & Patrum loquutiones accipere, vt intelligendas pro efficaci voluntate, non exclusâ sufficienti; est verò debitæ severitatis, similes verbò tenus Quesnellii expressiones accipere, vt intelligendas quidem pro efficaci voluntate, sed cum exclusione sufficientis. Ità ex æquo de Patribus cum Scriptura; vtpotè qui aliàs expressere Igeneralem Dei, verè talem, voluntatem; et si quandoque vt absolutam Dei potentiam, vel gratiam potissimum efficacem commendent, solius meminerint voluntatis specialis, maximè contra hæreses, nimium tribuentes libero arbitrio.

19 Sic ille ipse Prosper, & sui Augustini vindex, ad secundam ex obiectionibus Vincentianis: *Sincerissimè credendum, atque profitendum est, Deum velle, vt omnes homines salui fiant; siquidem Apostolus, &c.* Aliter verò severe de Quesnello, vtpote qui non modò voluntatem Dei generalem verè talem, nullibi expressit, sed expressit potius in secunda, & alijs ex his iisdem Propositionibus denegari à Deo, vtique non nisi efficaciter volente, omnem gratiam non efficacem; idque his temporibus, quando hæreses nimium gratiæ tribuunt, extinguendo indifferentiam arbitrij; nunc maximè oppositum *sincerissimè credendum, atque profitendum*, vt cum Prospero resumamus. Nec in excusationem proderit Quesnello, quòd in libro spirituali oportuerit abstinere à terminis Scholæ, vsurpare que præcisa verba Patrum: imò in eo ipso inexcusabilior, quòd nec Scholæ terminis, nec alijs æquivalentibus, & in Scripturâ, Patribus vè frequentatis, vsus fuerit, sincerè protestando voluntatem Dei generalem, sed vsurpando callidè solam specialem, verbis in Prospero, aliove candidis, suspectissimis tamen in hoc homine. Quid magis temerarium, quam ad verbum Christi sanantis Paralyticum Math. 2. 11. *Tibi dico surge*; ibi erumpere in duodecimam vniuersalissimam, de salute animabus liberâ, & omnibus liberâ; similiter ac de Paralytico inhabili ad omnem motum, loquentem.

20 Et sanè Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 16. art. 8. etfi  
agnoscant à Patribus asseri satis frequenter, *Christus, quin & Verbum,*  
*est creatura*, brevitatis causà determinatione omisà; ipsi verò non au-  
dent asserere sine addito, *in quantum homo*, vel *secundum humanam*  
*naturam*: nec sine censurà ferrent privatam Authorem, maximè de Aria-  
nismo suspectum, asserentem sine addito. Quin etiam in præsentì non  
toleravit Ecclesia in Iansenio quintam Propositionem, *Christus pro om-*  
*nibus omnino hominibus mortuus non est*, sine addito *efficacitèr*, aut si-  
mili; etfi ea non minus, quàm duæ dictæ Quesnelli Propositiones, quan-  
doque sine addito assera reperiatur in Patribus.

### S U M M A.

21 **P**ROcedit V. Illma. D. in iustificandis Propositionibus;  
eligendo 66.; \* supponit ipsam in sensu obvio loqui  
de timore serviliter servili, cum loquatur de proprio brutorum timore;  
ponderat contra illam, ex Censurà foveri Libertinorum obloquutiones, in-  
de inferentium accedere ad Sacramenta se ipsos posse, quin brutali-  
bus passionibus abrenuntient; adduci posse per instinctum naturalem,  
aut per timorem sicuti bestias; amorem, & Fidem relinquendo per-  
fectis vti iam filijs; commendat à se aliàs traditam è suggestu doctri-  
nam de timore, qui si subsistat cum desiderio peccatum committendi,  
& quem sequatur impunitas, magis peccatorem reddit, debetque cum  
timore brutorum comparari, \* utpote elicitus ad solum pœnæ con-  
spectum; in contrarium addit de timore, per quem recursus fiat in  
Dei misericordiam, & per quem abstinet quis à peccando, esse salu-  
tarem, & sanctum.

22 Resumit in genere V. Illma. D. Textus Sacros, quibus  
docemur, non accepisse nos spiritum servitutis iterum in timore, sed  
spiritum adoptionis filiorum *Rom. 8. 15.* similiter *2. ad Thimoth. 1.*  
*7.* & nisi efficiamur sicut parvuli, non ingressuros Regnum Cœlorum,  
*Math. 18. 2.* Demùm que V. Illma. D. contraponit SS. D. N. Cle-  
menti ipsi, quasi profus irreconciliabilem, si vt loquitur modò in  
sua Constitutione, conferatur secum, vt loquebatur in sua Homilia  
*3. ibi: Nec aliàs, quàm cum virtutum odoramentis, hoc est, firmæ Fidei,*  
*certę Spei, & Sincere Charitatis operibus, accedamus ad Dominum.*

CON-

\* 66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, nec adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti bestia; sed per Fidem & amorem sicuti filij.

\* Pag. 11. Parce que le seule vne de bâtiment le produit.



**I**n summa est revocare totam iustificationem ad hoc, quod Propositio non loquatur, nisi de timore serviliter servili. Hoc negabit quisquis in sensu obvio sincere, ac reverenter audierit sub Censurâ Propositionem, postrema sui parte collecto facile totius vitando sensu: *Sed per Fidem, & per amorem sicuti filij.* Quid tò, *sed*, nisi adversativa expressa contrapositio? Quid hoc, nisi excludere à via Deo appropinquandi omnem illum, qui timore non filiali egerit, sed qualitercunque servili? Fatemur timorem, de quo agit Propositio, comparari timori bestię, quæ adducitur per instinctum naturæ; fatemur, huiusmodi timorem non esse nisi serviliter, aut etiam stupidius serviliter: at in eo ipso detegitur virus lethiferum, quod cum ita sit re verâ, nihilominus falso falsius describitur, ut talis, omnis omninò timor non filialis, omni omninò timor servilis; & ad invidiam, ut non temerè suspicari fas est, iniquè movendam, timori bestiali comparatur. Sic & sequens, & sex aliæ proximè præviæ, de timore in genere loquuntur, solius filialis exceptione; atque adeo tam in sensu obvio, quam ad mentem Authoris, quicumque timor servilis, etiam non serviliter servilis, contemnitur ut brutalis; idque arreptâ levissimè occasione à solo *bestiarum* nomine, quod allegoricè attingebat Apostolus ad *Hebræ.* 12. 20. Ut candidè loquamur, etiam in *V. Illux. D.* explicatione passat nos desiderium defœcatoris doctrinæ, qualis præclarum adeò sive Pastorem decet, sive Ecclesiastem: quippè cum omnis timor, etsi non serviliter servilis, merè tamèn servilis, sit elicitus ex solo pœnæ conspectu, quid Populus accipiet nisi ansam ertoris? nempe quod omnis huiusmodi timor deteriorem reddat omnem peccatorem.

24 Nunc temporis est, si quandò aliàs, quandò inculcate oportet illam ex *D. Thoma* 2. 2. q. 19. accuratissimam distinguendi rationem, quæ timor dicitur alius purè servilis, alius serviliter servilis; ille præcisivè se habet ad novum peccandi affectum, utpote odio habens peccatum ob pœnam à Deo intimatam, cum præcisione ab eo, quod peccaret, necne, si deesset pœna; hic se habet ad talem affectum positivè, utpote implicite, vel explicitè peccare optans pro casu, quo pœna deesset; ille absterret à peccando, sanctus est, nihil mali affert, imò saltem remotè, ad Deum manuducit, etsi præterita peccata non deleat, passiones aliàs brutales non abradat, proximè ad Deum iustificando non trahat, ad minùs extrâ Sacramentum, vel etiam intrâ illud, si quis malit, absque initiali quadam charitate; hic solus serviliter servilis vitatur, & vitiat.

25 Hanc lineam transgredi, error est damnabilis, & sæpè dam-



natus; est ire contra Sacros Textus, quæ temperantur alijs specie tenus adversi, qualiter *Math.* 10, 28. ubi timere illum docemur, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam; est contra expressam definitionem Tridentini *sess.* 14. *cap.* 4. in Luthero talia damnantis, & Alexandri VIII. damnantis similia in Propositionibus 9. 10. 13. 14. 15. Sequacium Iansenij. Nec SS. D. N., etsi ut longè certior auscultandus ex Cathedra, in Homilia sua personuit alius: nam certè tò, *nec aliàs*, minimè contrapositio est exclusiva, sive virtutis, seu vitij cuiuslibet, præter Fidem, Spem, & Charitatem, quibus accedamus ad Dominum, sed omne in genere vitium excludit, omnem in genere virtutem admittit eo dicendi filo, *Nec aliàs, quam cum virtutum odoramentis*; tantùm exempli gratià virtutes illas, velut omnium optimas recensuit, Nisi hoc ità castè sumatur, nulla est virtus, præter Theologicas; per solas tres easdem copulativè sumptas accederemus ad Dominum, tam remotè quàm proximè: quæ sunt portenta ignorantia, à tanto Pontifice longè aliena.

## S U M M A.

26. **P**rocedit ultra V. Illma. D. ad iustificandas Propositiones 87., & 88.; sistitque in priori; \* obvium ipsius sensum esse declarat, sapientem Confessarium, ubi Pœnitentem reperit sine signis doloris, nolle ipsam reconciliare Deo per absolutionem, antequam verecundiã, & contritione criminum incipiat iustitiã Dei satisfacere; declamat contra doctrinã huius Censuram, esse ianuam immensa laxationis dare Casuistis, per irreconciliabilem concordiam Censuræ cum Scripturæ, Patrum, Ecclesiasticæ Disciplina, plausibilibusque S. Borromæi Regulis.

27. **O**pponit sibi V. Illma. D. tribui dictis Propositionibus errorem, iam-dudum damnatum Petri de Osma; quasi per illas Author similiter iutendat, generatim omni peccatori obligationem imponere, integrè Pœnitentiam implendi, antequam reconcilietur; quod est hostem fingere, quem Censura feriat, ut ait.

## C O N V E N T I O.

28. **F**atemur, sensum obvium alterutrius, vel vtriusque Propositionis non esse, generatim omni peccatori obligationem

\* 87. Modus plenus sapientia, lumine, & charitate, est dare animabus tempus portandi eum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere iustitiã Dei, antequam reconcilientur.

nem imponere, integrè pœnitentiam implendi, antequàm reconcilietur; sed neque per umbram est sensus obuius, agnoscere obligationem Confessarij, ne Pœnitentem reconciliet, nisi prius hic per sola doloris signa incipiat iustitiæ Dei satisfacere. Medium superest inter vtrunque hoc extremum, nimirum generationi omni Peccatori obligationem imponere, si non integrè, saltèm ex parte Pœnitentiam implendi, ad id per tempus dilata reconciliatione. Nonne hoc sponte sua referunt ea conceptissima verba: *dare animabus tempus . . . . incipiendi ad minus satisfacere iustitiæ Dei, antequàm reconcilientur?* Nonne per tò, *satisfacere*, obviè acceptum, intelligi aliud potest, quàm Pœnitentia satisfactoria? Nonne per tale verbum intelligi, nisi violentissimè, potest Pœnitentia doloris solius? Nonne in Propositione ipsà, *ultra spiritam pœnitentiæ, & contritionis*, adiungitur præterea satisfatio, quæ præmitti debeat, ex parte ad minus?

29 Mittimus, quòd per tò, *ad minus*, non excluditur omninò per Authorem error Oxomensis. Mittimus, quòd vel ad contritionem aquirendam, doloris que signa præstanda, non est cur à Confessario exigì debeat temporis tractus generatim; quid enim si Pœnitens, vix, aut nullatenus recidivus, accedit contritus valde, vel in ipso actu Confessionis per conspicua doloris signa contritum se ostendit? Mittimus quòd levissimè Author in tales Propositiones devenerit, solo exemplo Sauli conversi *Actor. 9. 9.*, Leprosorum que *Luc. 17. 11. & 12.*; quasi Saulus non statim fuerit à Christo absolutus; aut Leprosi perinde sit ad Sacerdotes ijsse, ac interim satisfacere. Nec ad rem præstat doctrina de nimium recidivis, pro quibus differenda veniat absolutio, vt ex Borromeo, & alijs insinuabatur; imò cum ad medicinalem id spectet pœnitentiam, non ad satisfactoriam, vel nomine suo alienissima est.

30 Satiùs longè ad Censuræ iustificationem spectat Evangelica idea boni Pastoris sine morà donantis veniam Prodigio filio Pœnitenti; spectat Oxomensis error, indifferentè ad integram, vel ex parte pœnitentiam asserentis, *Non peractà pœnitentia confitentes absolvi non debere*, damnati verò à Sixto IV. apud Alfosum de Castro; \* spectat Rituale Romanum, quatenus differre absolutionem, non generatim præscribit, sed ad certos casus; spectat Alexandri VIII. damnatio contra 16. 17. & 18. Propositiones, simillimas præsentibus. Ex quâ demum damnatione constat, esse praxim Ecclesiæ, ipsamque venerandam, non præmittere semper satisfactionem; nec esse connivere laxonibus Casuistis, sed surdas præbere aures Rigoristis novantibus. Nec putamus decere nostras Insulas, vt alij ad vulgus ficto sermone præstant, sub Casuistarum

\* Castro lib. 4. adv. Hæreses, fol. 136.



rum nomine gravissimos etiam Moralis Sapientes dedignari. Alius est Ecclesie spiritus, & sanctus quidem, non fucatum, sed veram Reformationem exoptantis; sitque plusquam in testem Clemens VIII. \* qui confirmando Reformationem Regulę Ministrantium Infirmis, hæc pro illius Congregationis Alumnis §. 40. Statuta firmavit: *Ad Religionis studia promoveantur, quæ erunt Humaniores literæ, Logica, & casus conscientie, . . . cum illud præcipuè requiratur in Nostriis, ut promptissimi, resoluti, perfectissimique Casuistæ sint.*

## S U M M A.

31 **P**RO cedendo in iustificandis Propositionibus, septem assumit V. Illma. D. à 79. vsquè ad 85., atquè vt reliquarum nucleum 80., \* scilicet, *Lectio Sacra Scripturę est pro omnibus*; notat, esse perindè ac in similibus dicere, Parochiæ Missam esse omnibus, ieiunium, & abstinentiam Quadragesimæ esse omnibus; hoc etsi supponendum, de potius, quam exprimendæ veniant in his generalibus regulis exceptiones subintellectæ iustas ab causas; v. causâ in exemplis ob atatem, ægritudinem, negotia vrgentia, & similia, in re præsentis ob legendi incertiam, aut interdictionem Ecclesie indispositionis iure in aliquibus.

32 Ita benè affirmari, ac generatim posse, & debere, Lectiõnem Scripturæ Sacræ esse omnibus, probat V. Illma. D. ex eo, quòd vnum sit ex medijs à Deo preparatis ad omnium hominum salutem; ex eo quòd hæc de causâ Ecclesia Galliæ in communem usum prodegerit Libros Sacros linguâ vulgari; ex eo quòd Rom. 15. 4. dicat Apostolus, quæcunque scripta sunt, ad nostram vtilitatem scripta esse; item que Thessal. 5. 25. commendet omnibus fratribus legi Epistolam suam; ex eo quòd nec Petrus deserit communem omnibus facere lectiõnem Pauli Epistolarum, etsi quædam in illis esse difficultia, & cum Scripturis cæteris in pravum sensum ab aliquibus detorqueri, præcaverit; demùm ex eo, quòd Patres, allegatis Basilio, Chryso-stomo, Augustino, & Gregorio, terminis longè strictioribus, quàm Propositionio censurata, Lectiõnem, & Meditationem Scripturę Sacræ commendaverint omnibus, idque licèt ab exordio sui abasum experta sit Ecclesia, nec ius ignoraverit, quo permittere manibus fidelium Libros Sacros, vel interdicerè potuit.

CON-

\* Clemens VIII. Constit. *Superna dispositione*, 29. Dec, 1600.

\* 80. *Lectio Sacra Scriptura est pro omnibus.*



33 **F**atetur, esse plurimas regulas generales sanas, & fortasse omnes, quæ patiantur iuxta proloquium iuris suas exceptiones; imò in præfenti, sic cum Censurâ in regulam acceptamus, Lectionem Sacræ Scripturæ non esse faciendam omnibus communem, traductionem linguâ vulgari faciendo, commendando laicis etiam, & idiotis, ac fœminis indiscriminatim; vt tamèn de hoc ipso exceptiones congruas agnoscamus, quandò Catholici permitti sunt Hæreticis, quandò iustas ob causas aliquibus copia fit à Superiore competenti. At ob aliquas exceptiones assumere ipsas in regulam generalem, & regulam in exceptiones, esset omnia fusque deque habere, nec segregare sanum à non sano sensu; meritò autem S. Sedes pro regula generali potius habuit, quòd lectio Sacræ Scripturæ non sit facienda, quam quod facienda sit communis omnibus. In hoc sensu obvio absdubiò stetit præfens Propositio, modo nimirum quo dicimus omnes, *Auditio Sacræ Concionis est pro omnibus*; & sanè ad mentem Authoris, vt liquet magis, & magis ex cæteris adiunctis in id ipsum Propositionibus, planè linguâ vulgari, vnicè laicis, fœminis, & omni personarum generi communi, proponentibus lectionem Scripturæ, vt medium *utile, & necessarium*, à quo aliquem abstinere *damnosum est*, & quod in genere, *interdicere Christianis*, non liceat.

34 In tali autèm sensu, quàm sit iure damnata illa Propositio cum adiunctis, constat ex regula 4. Indicis, suâ que observatione, decreto Pij IV. ad votum Tridentini, per ea verba: *Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari linguâ passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm utilitatis oriri, hæc in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur &c.* Constat ex Ecclesiæ perpetuâ traditione, praxi que, accedentibus congruentissimis motivis, vt contra Heterodoxos nuperos, quibus solis nuperissimi Iansenistæ connivent, satis videre dat eruditè Bellarminus. \* Quis oppositi abusus causâ, vbi prævalet, hodiè non videat, quod Hieronymus Epistolâ vulgari ad Paulinum, iam tunc cœpisse querebatur? *Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant . . . Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequàm discant.* Et hic ille Pater, qui Epist. præfem. ad Paulinum, & Eustochem in comment. ad Ephe. non minus enixè, quam qui suprâ opponebantur, meditationem, & scientiam Scripturarum omnibus commendat.

\* Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. &amp; 16.

35 Concordia est, pro generibus singulorum excipi nullos, si sint periti, & pij; da mihi, si quæ sunt conferibiles Paulæ, aut Eustochio, & vel sceminis talibus immediatè copiam fieri Sacrorum Librorum, linguà etiam vernaculà, Ecclesia non refugit. Pro singulis generum non nisi mediatè doctrina hæc sumenda; quatenus radissimi adhuc, & inscij per Ministros Ecclesiæ, catechismo, concione, Librisque Asceticis, participant oportunè, ad captumque omnium, quæ sibi competant ex traditis in Libro Dei: modo quo, vt Basilij exemplo vtamur, omnibus cum destinata sit in medicinam Officina pharmacorum, sed non nisi per peritos in arte, linguà que ceteris peregrinà, pharmaca conferuntur.

36 Ità, & non aliter etiam, vel ratio, vel Textus sacri obiecti, verum faciunt vero consonare; vt vel ex eo firmandum, quòd cum Apostolorum prædicatio facta fuerit linguà per varias Mundi plagas, variè vulgari, ex dono linguarum pro tali munere accepto; at Scripta Canonica non nisi aliquà ex tribus vniversalioribus linguis; & in Cruce Christi consecratis, relicta sunt Ecclesiæ ab Apostolis suis. Porro Eunuchus *Acto. 8. 28.*, nec sine Philippo exponente, nec in vulgarem sibi linguam versos, dicitur Libros Sacros legisse; & tamèn eo loci suam doctrinam illimitatam Author invexit. In regulam trahere, quòd Gallicæ, vel alibi, vbi præmaniri aliter debent Catholici contra Hæreticorum insultus (præterquam ibi quoque, non nisi cum moderatione, per Prælatos adhibendà, consuetudo sana obtinuit), hodie in vsu est; perinde dissonat, ac si paritas duceretur ad cives, quasi liceant ipsis arma vetita, quæ permittantur viatoribus, per saltus prædonibus infestis iter acturis.

37 Ad sensum datum præsentis Censuræ accedit, quòd si semel Sacra Scriptura deberet linguà vulgari fieri communis omnibus, ad ipsorum consolationem, & eruditionem; ex eadem causà deberent Officia Divina, Sacramenta, Missæ, Canone ipsius non excepto, linguà vernaculà vulgari, quin & altà voce singula quæque Populo, intonante ipso vnà cum Ministro, participari. Est in sensu obvio, quòd ex consequenti Propositionum Author asseruit sequenti 86.: *Eripere simplici Populo hoc solatium, iungendi vocem suam cum voce totius Ecclesiæ, est vsus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.*

38 Et est, quòd in praxi promouit, vbi obtinere potuit, nimirum in vitiatà per ipsum Missionem Hollandicà, idem Author, vt authenticè constat ex *Causà Quesnellianà art. 2. §. 5.* Verùm est sequela peior priore: error est à Tridentino damnatus *sess. 22. cap. 8. & can. 9.*; item ab Alexandro VII. altè confossus gravissimà Constitutione suà edità 12. Ianu. 1661.; recusà iussu Innocentij XII. à Sacra Con-



gregatione 7. Sept. 1695. contra presentem, vt supra illi tribuitur pag. 103., cum alijs Authorem; estque audacissimus error contra perpetuam Ecclesie praxim, vt cum citato Bellarmino tuetur suus Defensor, \* & prae manibus attestantur correctissima Ecclesie Romanae Missalia, Breviaria, Ritualiaque.

S U M M A.

39 **P**ROcedit ad Propositionem 91. \* V. Illma. D. velut ex terminis facillimè iustificandam; notatque in primis, Authorem, etsi posset, non loqui de iniuncta Excommunicatione actu, sed de solo metu iniungendæ, scilicet, *Excommunicationis iniuste metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro*; subdit, hanc esse veritatem, vt sonat, sapientibus, & insipientibus notissimam, aliàs deberet quis abstinere ab implendo debito suo, quoties deterruerit metus fundamento nixus, vel non, iniuste Excommunicationis; opinatur V. Illma. D. non aliter quàm propositio fert, consiliu daturus in casu, si non prodijisset Constitutio, etiam illos, qui cum iam editam admiserint, loquutionem accusant, vt Censuram pallient, potius quàm vt expriment æquitatem.

40 Depingit V. Illma. D. ideam illorum pro Censura quasi vaticinantium, distinctione facta iniustitiæ debitique: nam si Excommunicationis iniustitia intelligatur pro iniustitiâ in solâ existimatione anathematizati, debitumque pro debito falso; in hoc sensu, contrario quidem significationi verborum, falsa dicitur Propositio, & captiosa, favensque Partiarijs Iansenij eo que periculosior, quo magis sonat veritatem. Si vero Excommunicationis iniustitia intelligatur pro iniustitiâ certâ, & constanti, atque debitum pro debito vero, & reali; in hoc alio sensu, qui agnoscitur ab ipsis esse obvius, Propositio est, vt nec diffitentur, Veritas innegabilis. Subdit V. Illma D. se capere non posse, quod clarè dicitur Iniustitia, sumendum esse pro Iustitiâ, quod clarè Debitum vocatur, sumendum pro debito imaginario: ea que propter \* supplicasse SS., vt suam Censuram revocaret, vel illius expromeret iustitiâ, sentiendam prorsus.

41 Ut se tueatur V. Illma D. in vnione charitatis, & venerationis

C

\* Gretserus in defensi. Bellarm. sup. à pag. 906

\* 91. Excommunicationis iniusta metus nunquam nos debet impedire ab implendo debito nostro &c.

\* Pag. 16. Nous supplions Sa Saintete de revocuer sa Censure, ou de nous en faire sentir la Iustice.



nis à Confratribus, à quorum mente discrepat in hac, cœterisque Propositionibus, se convertit ad Prælatorum Cœtum annis 1653. cum tribus sequentibus coactum; vbi teste Marcà Clerus Gallia in alia Constitutione noluit acquiescere damnationi similiter vagæ aliquarum Propositionum, & tam sensus Catholici, quàm Hæretici capacium, ne Bulla ob hanc ambiguitatem evaderet illusoria, Controversiaque intacta maneret.

42 Non sistit V. Illma D. in pronuntiando, \* Censuram præsentis Propositionis visam sibi esse iniustam; pergit non sine plausu, elogioque, se submittere iudicio Magistratum, qui Censuram eandem, vt Libertatibus Gallia periculosam, à prima sui recitatione præsenferunt, modificationibus que mulctarunt, impetus cohibitori Curia Romanæ: hanc vt Regni vocem acceptans V. Illma. D., \* ratus que dolore vertitur contra privatos quosdam, quos degeneres infelix Gallia edidit, vtpotè suo Principi minus addictos, quàm exterræ Potestati.

### CONVENTIO.

43 Minutijs prætermisissis, non admodum curamus, quid alij censuerint privatè de sensu damnabili huius Propositionis; sistimus in sensu obvio partis, quæ versatur in crism, & ita crudè, vt sonat, iam antè Constitutionem dissonare debuit, omninò autem postea. Excommunicationis potest iniusta esse, quin sit nulla, & iniusta esse, non certò, & apertè, sed sub dubio, & opinabiliter; debitum potest è contrà esse certò, vel incertò vrgens, intrinsecè, vel solùm extrinsecè indispensabile. Nisi doctrina modificetur ad Excommunicationis iniustitiam, per nullitatem notoriam, & quæ intolerabilem contineat errorem, contrà debitum certò intrinsecè indispensabile; doctrina est captiosa, scandalosa, & à nullo vnquam, vt sana edocta, vel admissa: ecce verò nihil tale modificabat Propositio, imò per tò, *nunquam*, modificari modo villo non paritur.

44 Sinamus Magistratibus, si contrà ire non liceat, vt vigilent pro his, quæ sunt Cæsaris, aut Regni; nos vero Prælati advigilemus vicissim pro his, quæ sunt Dei, & pro Libertatibus Ecclesiæ, vt Universalis, & Sacræ; in eà non est distinctio Iudæi, & Græci, non Galli, & Romani; neque decet nos maximè Prælatos, vt in conflictu iurium  
in

\* Pag. cit. *Mais si la censure de cette Proposition nous a paru injuste &c.*

\* Pag. 17. *Si ce ne est, que la France a le malheur de produire des sujets moins dévoués à leur Souverain, qu'à une Puissance étrangere.*

in faciem probro vertamus alijs, quòd non tanti habità Principis alicuius potentia in spiritualibus, malint revereri, vt non exteram, supremi totius Ecclesie Præfulis Maiestatem. Fingamus quem pronuntiasse, quòd *Metus Sententia Parliamentorum iniusta, non debeat nos impedire ab implendo debito nostro*; arderet illicò, ni fallimur, zelo Regio quavis corona Magistratum: ardeamus & nos, non minus congruenti zelo pro Domo Dei.

45 Et vt præsentis non absimilis Propositionis, nostrum potiùs, quàm Regium ius lacerantis, absurditatem deprehendamus, ad normam ponderis Sanctuarij; consulamus stateras non dolosas Canonum, SS. Patrum, Theologorum, Canonitarum. *Vtrum iuste, an iniuste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est: ne is qui subest, & cum iniuste forsàn ligatur, ipsam obligationis sue sententiam ex alià culpà mereatur. Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec Pastoris sui iudicium temerè reprehendat: ne, etsi iniuste ligatus est, ex ipsà tumide reprehensionis superbià, culpà quæ non erat, fiat.* Ait Magnus Gregorius hom. 26. in Evang., brevè allegatus in Decreto cap. 1. 11. q. 3. *Valdè est timenda sententia Episcopi, licet iniuste liget.* Ait Urbanus Papa literis datis ad omnes Episcopos, & habetur cap. *Quibus Episcopi* 27. cit. Causà 11. q. 3. *Teneas ergo circa sententiam Excommunicationis indubitanter, quòd sive sit iniusta ex animo, sive ex causà, sive ex ordine, sive ex animo, causa, & ordine simul, tenet, & ligat quantum ad Ecclesiam Militantem.* Ait S. Raymundus lib. 3. Summæ §. 33. de sent. excommun. ex cap. *Si Episcopus* 4. 11. q. 3., cum præmississet §. 2. in dubio vtrum sit contra Deum, vel non, illud, quod præcipitur, debere Subditum obedire, nisi esset tale quid, in quo nullo modo esset excusabilis ignorantia. Id ipsum S. Thomas in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. quæst. 4., exponendo Hieronymum, ex quo videbatur probari, quòd *Excommunicatio iniusta nullum habet effectum.* Id quoque S. Bonaven. eadem dist. 18. in textu part. 2.; vbi adiungit generatim ad quemvis casum: *Absolvit autem Dñus Papa in omnibus ad cautelam, non propter hoc, quòd reputet fuisse excommunicatos, vel excommunicandos; sed vt ostendat Ecclesie sententiam (quantuncunq; sit iniusta) esse formidandam: unde timetur, & tenetur, non consideratione iniusticie, sed ob reverentiam potestatis Ecclesie.* Simili verborum filo loquuntur Doctor Navarrus in Enchiri. cap. 27. n. 3. Card. Toletus in sua Instruc. Sacerd. cap. 10. Suarez. disput. 4. de Censuris ses. 7. à n. 41. & omnes sine notà Catholici, si cum eodem ritè penetrentur; ità vt in proloquium evaserit, Excommunicationem, sive iusta, sive iniusta sit, semper esse timendam; & hic timor



est, quem temerè intendit abigere *Propositio*.

46 *Celebris decisio in Iure cap. Inquisitioni de sent. excommunicationis, Innocentio III. definiente, sustinendam tenuit humiliter excommunicationem, potius quam in re vxoria delinquere; at hoc pro solo casu, quo pro certo habeatur impedimentum. Celebris in Evangelio excommunicatio Pharisaica Ioann. 9. 21., vnde ansam assumpsit Author ad suam Propositionem, de qua nunc; at ille casus intolerabilem continebat errorem contra Fidem in Christum Iesum, doctrina vero temerè assuta, illimitatè perrexit, & quidem nihil sapiens ædificationis ad Subditos, vt Reflexionibus Christianis conveniebat. Quis inde fructus nisi seditionis, maximè in Partiaris Iansenij, debitum suum obstinatè putantibus, damnatas doctrinas sustinere, atque Censuras Pontificias velut iniustas obstinatissimè ducentibus? Sic omninò se factò ipso gessisse Authorem, consilio dato impudentissimo, notorium fecit authentice citata *Causa Quesnelliana* à pag. 140. quæst. 2. Cumque sive in sensu obvio, sive ad mentem Authoris, tam sit in propatulo Censuræ præsentis iustitia; stupor est nobis, quòd hæc maximè propositio in ideam innocentissimæ veritatis usurpetur; quòd ipsius que Censura non iam exponi, sed revocari postuletur, & ore pleno \* iniusta censeatur, usquè dum sensibilis Supplicantibus fiat à SS. iustitia illius.*

47 *Quantum agnovimus ex Historia 5. Propos. Iansenij lib. 2. & 3., allegata Cleri Galliæ, & per annos obfirmata decisio, cò tendit laudabiliter, vt staret contra Iansenianos pro Constitutione Innocentij X., scilicet vt non absolute solum, sed respectivè ad Authorem Libri, Augustinus, damnabiles fuisse, damnatasque ipsi censerent illas Propositiones, atque adeo non in sensu vago, ad Catholicum, & Hæreticum ambiguo, sed in sensu Hæretico determinatè. Ita benè quamoptimèque, et ritè sumatur vt supra; nempe si ad mentem Authoris, vt hinc indè agnitam ex suis scriptis, Propositiones, utcumque alias ambiguar, deè tegantur in errorem declinare. Sic vidimus, plus minùsve sensibilibiter determinatè in errorem ducere præsentis Propositiones.*

## S U M M A

48 **P**RO articuli clausula subinnuit V. Illma. D., multò plura effusuram se posse de difficultatibus subnascentibus ex Constitutione; scilicet infidelitatem, quæ Censores Romani ex Libro Propositiones arripuerunt; iniustitiam, quæ non sunt digni se se accommodare illi regulæ indubitabili, præscribenti iudicium ferre

\* Pag. 16. On de nous en faire sentir la justice.



ferre de Libro, & Propositionibus in ipso contentis iuxta contextum Operis.

49 Item subinnuit V. Illma. D., se posse vt prædictas, sic & alias enucleare Propositiones, quarum Censura videtur extirpare à Religione, tum præceptum timoris Dei, vt totum tribuatur timori summè servili, Prop. 44. 45. 46. 49. 50. 53. 54. 60. 61. 62. &c.; tum potestatem Gratiaë efficacis, Prop. 2. 3. 4. 5. &c.; tum vtriusque duplicis Testamenti discrimen, Prop. 8. 65. &c.; tum necessitatem Redemptoris, Propos. 36. 37. &c.; tum sensa nostri nihil, & nostræ debilitatis, Prop. 48. 69.; tum dispositiones à nobis per Deum exactas tolerantiaë tempore, persecutionisque, Prop. 92. 93.; tum Maximam non multiplicandi iuramenta sine necessitate, Propos. 101. Hæc fusius probanda mittit V. Illma. D., tanquam non iam necessaria suis ovibus pro convincenda Bullæ ambiguitate; proinde \* transitum facit ad necessitatem, quâ Papa tenebatur abrumperè silentium illud, quod, cum faciat ipsum in Fide suspectum, non relinquit medium tollendi suspicionem, & iustificandi addictio-nem suæ Sanctitatis inviolabilem, erga doctrinam suorum Prædeces-sorum.

## CONVENTIO.

50 **P**ACE V. Illmæ. D. paucissimi ferre poterunt, imò nullus ingenuus Ecclesiæ Filius, quòd vnus aliquis ex tot Præ-latis innumeris sic ad Populum loquatur de summo omnium Præsule; id verò prætexendo causam, quæ, vt videmus cæteri, prorsus causa non est. De iustitia, & fidelitate Censorum, sine probatione ipsa que vr-gentissimâ, ingeri suspicio aduersa non potest, maximè post expressam ex Cathedrâ Supremi Indicis attestationem. Nec magis sine probatione credibilia fiunt, quæ Censuræ imputantur crimina; cum potius, vel solâ relectione Propositionum, quæ allegantur, nihil minus occurrat.

51 Quippe non tribuitur totum timori summè servili, sed abra-ditur assertio tam multa de eo, quòd tribui totum charitati debeat, & summæ charitati; non vocatur in litem efficacis gratiæ potestas, sed consulitur gratiæ sufficienti, vt innegabili ultra efficacem; non omne dupli-cis Testamenti discrimen, sed quod fingitur in gratia sufficienti, & efficaci, sicut & amore, timore vè, in sensu illimitate aduersativo, lon-ge

\* Pag. 17. Nous passons à la nécessité où étoit le Pape de rompre un silence, qui do-nant occasion de soupçonner la pureté de sa Foy, ôtoit à nôtre zèle les moyens de désigner ce soupçon, & de justifier le attachement inviolable de sa Sainteté à la Doctrine de ses Prédécesseurs.

gè propulfatur; non læditur Redemptoris necessitas, vbi prohibemur imaginari, gratiam Christianam non inhære nobis, aut Omnipotentem chimericè, aut eo nomine solummodò efficacem; non tollitur de nostro nihilo, nostrà que debilitate sentire humiliter, sed docemur, ne humilitate plus quàm falsà, vel dicantur iniusti quovis gratiæ auxilio carere, vel iusti, Fideles que, bonis gratiæ purè passivè donari; non veltamur accomodari dispositionibus sanctè à Deo exactis pro tempore tolerantiæ, aut persecutionis, sed ne credamus venienti lupo sub vestimentis ovium, & vt in seq. Propos. 94. magis claret, seditiosissime supponenti hodiè contrà Fideles, iniquam excommunicationibus, à primis Pastoribus inflicta, persecutionem incruduisse, nempe contrà Iansenistas; non dedocentur Iudices, ne iuramenta multiplicent sine necessitate, sed inhibetur ne seditiosissimi Subditi iudicare ipsi audeant contrà Iudices, vt modò Iansenistæ contrà vrgentes praticare, vt iacet, Alexandrinum Formularium.

## §. II.

### S U M M A.

52 **A**RT. 2, probare nititur V. Illma. D. necessitatem, in qua erat Papa constitutus, vt abrupterent silentium; probat autèm illuc revertendo, vnde sumpserat exordium. Summa est, dùm Bulla comparuit, illos ipsos, qui ardentès sollicitaverant excedi, agnovisse in ipsa iam expedita inconvenientia egregia, & nihilominus se ipsos ad acceptandum comparasse; alios verò saniori consilio in eam partem inclinasse, \* vt instantèr vgeretur SS. supprimere Bullam, & sinere Gallis Episcopis, omnibus que Iansenismo æqualitèr aduersis, curam eundem Iansenismum radicitus extirpandi; partem hanc, etsi omnia mala Constitutionis præoccupaturam, minimè prævaluisset, sed alteram potius acceptationis, etsi scopulis periculosam, defuncti Regis authoritate illuc propendente; propterea resolutam fuisse acceptationem ab Episcopis, iussu Regis coactis, etsi quo magis expendebant in sessionibus, eo plus conveniebant in eo, quòd Declarationibus egeret Bulla; & in adiungendis acceptationi Bullæ ipsius Declarationibus convenisse omnium suffragia vnanimitèr,

\* Pag. 18. *Queon la conjuroit instamment (à Sa Sainteté) par ces motifs de revenir sur Bulla, & de laisser aux Evêques de France, tous également opposés au Iansenisme, le soin de la faire aux sondeurs.*



ter, \* tanquam in præliminari ad acceptationem ipsam; inortam  
 que esse tunc discordiam in modo Declarationum, (alijs, numero qua-  
 draginta Prælatorum, probantibus eas, quas Commissarij paraverant,  
 Cœtus que acceptavit, alijs, numero novem Prælatorum, renuentibus,  
 Declarationes que consentibus postulandas à S. Sede.

53 Notat V. Illma. D. acceptationem vtriusque partis totius Cœ-  
 tûs fuisse factam, nonnisi relativè ad Declarationes; alij quippè rela-  
 tivè ad Declarationes suas acceptarunt, ideò que tam Acceptationis,  
 quam Declarationum Acta, sub eodem sigillo subscripserunt (do-  
 let que maximè Vestra Illma. D., quòd nihilominus per aliquos ini-  
 micos Episcopatus fuerit temerè falsus rumor sparsus, Acceptationem  
 Cœtus simplicem, & puram prodixisse; vt ex hac imposturâ iudicium  
 feratur, addit V. Illma. D., de fidelitate, quam ipsi servant in alijs  
 factis enarrandis); alij verò relativè tantum ad Declarationes à Papâ  
 recipiendas, vnde ipsi decreverunt suspendere Acceptationem, inter  
 alia sana motiva, vt eiusdem essent Declarationes autoritatis, cuius  
 est Bulla.

**CONVENTIO.**

54 **C**onsequentèr ad ea, quæ ab exordio nos reponere co-  
 cepimus, quedam in modò dictis occurrunt, quæ non  
 dissimulandam invehunt difficultatem. Si omnes Galli Episcopi equali-  
 tèr sunt adversi Iansenismo, atquè adeò digni, quibus sinatur cura,  
 cum radicitus extirpandi; quo fine, zelo ve, ipsorum aliqui tam sunt  
 solliciti pro bonâ famâ, nomine, doctrinâ que hominis de Iansenismo  
 plus quam suspecti, plus minus ve aperte, in præsentibus Propositioni-  
 bus, etiam vt sonant, & alias iudicialitèr convicti à nostro clarissimo  
 Fratre Archiepiscopo Meclinienfi?

55 Si à limine huius negotij mens aliquorum extitit, vrgere SS.  
 rotundè, vt supprimeret Bullam, in medio Ecclesiæ à se iam editam,  
 tanquam ream malorum suboriturorum; quis quantuncunquè lenissimus  
 in id ipsum revocationis non interpretetur, quicquid postea Declaratio-  
 num simulato nomine novimus attentatum? Si tam inviti antea, quam  
 sempèr proclives, omnes Prælati, totus que ille Cœtus, convenerunt in  
 Acceptatione, postea tamèn post longam de sensu Censuræ concertatio-  
 nem, arbitrati sunt expedire adiungendas Declarationes; quomodò ar-  
 bitrium hoc describitur, tanquam præliminare fuisse ad Acceptationem,  
 quæ fuerit nunquam pura, simplex que, sed relativè ad Declarationes?

\* Pag. cit. Ce Præliminaire à la acceptation.



56 Si ex levi coniecturâ signandi tam Acceptationis, quam Declarationis Acta sub eodem sigillo, dividitur Acceptatio ut relativa; cur non præcûl ab omni notâ temeritatis, imposturæ, aut iniuricitiæ in Episcopatum, accipiemus potius nos simplicissimè, ut puram, simplicem que acceptationem, eorundem de se ipsis reificationem ad SS. ; ubi solum tanquam *Pastoralis documenti formulâ*, & *Pastoralis institutio velut præsidij, ac munimenti loco*, Declarationes propriæ describuntur? id quæ postquam præmiserant, Maiorum suorum exemplo, *postremam Constitutionem consimili obsequio, ac veneratione amplexos esse*. Si Prælatorum alij, quia relative ad Declarationes Pontificias acceptarunt, decreverunt suspendere Acceptationem; quæ fuit Acceptatio illa, in quâ cum cæteris antea convenerant? cuius forent auctoritatis penes ipsos Declarationes Pontificiæ, similes Bullæ, quæ nullius habetur auctoritatis?

57 Sanè tribuere præmissam acceptationem & sui, & aliorum, condescendentis politicæ in Regem, hoc verum dedecus in Episcopatu non ferendum; acceptare prius, postea non nisi relative, suspendendo que acceptationem, hoc in re non est, nisi velle, ac revocare, acceptare non acceptando, & iudicare in Fide ipsâ; acceptare verò, licet pro expositione sensus adiunctâ doctrinali declaratione, hoc benè est, acceptasse simpliciter, & purè: nam quis nisi mentis inops, firmitatem præstare putet, quam non habet? declaratio ex terminis Textui firmitatem non conciliat, sed supponit in ipso. Nec dissimulandum hic vealè, quod in exordio de Magno illo Rege suspendebamus: si enim coegit illicò Rex ad acceptandum, quomodo fovisse dicitur recursum ad suspensivas Pontificias Declarationes? quis item hoc de Rege illo credat, verè Christianissimo, qui usque ad mortis agonem acerrimè perstitit, reluctantium clamores contemnendo, in factâ semel retinendâ simplici acceptatione?

58 Gravissimè itaque SS. D. N. post annos tres à sua Constitutione totum vestrum Episcopalem Cœtum, \* de discrepantibus inter vos sic adhortabatur: *Eosdem potissimum admonete, ne de vanâ ergâ Nos observantiâ sibi frustra blandiantur, dum à Nobis postulant novas, & prævias Constitutionis nostræ Declarationes, cui debitam interim obedientiam deferre detrectant.*

#### SUMMA.

59 **P**Ræmisso, ut supra, statu Comitiorum, contendit V. Illma. D., tam attentâ parte Prælatorum, qui Constitutionem

,, nem acceptarunt, quam Prælatorum parte, qui acceptare renuerunt,  
 ,, debuisse Papam abrumpere silentium, & agnoscere necessitatem de-  
 ,, clarandi difficultates, subortas ex Bulla. Probat in primis V. Illma. D  
 ,, ex parte Prælatorum, qui Constitutionem acceptarunt; & sic eorum glos-  
 ,, fat Acceptationem cum Declarationibus adiunctis, vt, quicquid ipsi co-  
 ,, loris alius obtendant, non latuerit Papam, motivum reale fuisse Bul-  
 ,, læ obscuritatem; subdit, motivum allegatum à Cæteris Prælatorum pro  
 ,, tuendis suis Declarationibus, adoptatis postmodum à cæteris Præla-  
 ,, tis Regni maiori ex parte, fuisse Regulam tradere communem ( nec  
 ,, enim solius ornatùs gratià, & Commentarij minimum ligantis, adiu-  
 ,, ctæ sunt illæ Declarationes ) pro intelligentia vniiformi Bullæ, se-  
 ,, dandis que varijs, aut etiàm contrarijs interpretationibus, sensu ce rto  
 ,, dato, & seclusà incertitudine opinionum; addit, nihil minùs, quàm vo-  
 ,, tis, facta respondisse, sed Theologos sapientiores, & maiori ex par-  
 ,, te Fideles perspicacissimos, in conspectu Declarationum agnovisse mi-  
 ,, nùs Bullæ sensum.

,, 60 Notat V. Illma. D. non id ambiguitatis, aut etiàm per-  
 ,, sistens, supererescens que contradictionis fuisse ortum ex eo, quòd  
 ,, oppugnare quis vellet Veritates à Declarationibus stabilitas, vel tueri  
 ,, Errores à Declarationibus damnatos ( licet querelæ miscerentur  
 ,, exactionis multipliciter læssæ, maximè in Articulo spectante ad  
 ,, timorem, de partialitate versùs Molinismum, qui cum sit ab  
 ,, Ecclesià vnicè toleratus, videtur æquari doctrinæ SS. Augustini, &  
 ,, Thomæ, de malè consultà æquitate in sinistra iudicando non semel de-  
 ,, intentionibus Authoris ); sed vera dictæ ambiguitatis, & contradi-  
 ,, ctionis origo fuit, quòd cum hinc Bulla damnet Propositiones in sen-  
 ,, su obvio, & non pendentem ab occultis intentionibus Authoris, inde  
 ,, verò Declarationes damnent in sensu violento, & tantum per conie-  
 ,, cturas attributo quandoquæ Authoris sensui; ideò iulincandis potiùs Pro-  
 ,, positionibus censuratis Declarationes præstitæ, utpote Bullæ ipsi adver-  
 ,, santes, deservisse dicuntur.

,, 61 Hic V. Illma. D. se se intromittit in scrinium pectoris Apof-  
 ,, tolici; siquidem pronuntiat, Papam ignorasse nihil ex prædictis, agno-  
 ,, visse generali ferè consensu Galliam repugnante sensui Declarationum  
 ,, Episcoporum sibi addictissimorum, vidisse ad manum sibi esse tanti ma-  
 ,, li remedium, \* si verbum que ex Cathedra eliceret, se fi-  
 ,, xurum esse Bullæ, animos inquietantis, sensum; concludit V. Illma. D.,  
 ,, quod probandum assumpserat, nempè parte adhuc attentà Prælatorum,  
 ,, D. qui

\* Pag. 21. *Quis un mot, que une parole prononcee de la Chaire Apostolique  
 estoit capable de fixer le sens de une Bulle, qui rendoit les esprits si sans, & indeterminez.*



„ qui Constitutionem acceptarunt, fuisse Papam indispensabili uecessitate compulsum, abrumperè silentium.

## C O N V E N T I O.

62 **D**ifficultatem ingerit nobis, quòd contrà motivum ab Acceptantibus expressum, aliud per arcana quædam vaticinia ipsis tribuatur; ita de Prælatiſſimis, ac ferè omnibus Regni Christianiſſimi loquendo, præfertim quandò sugillatur non benè ſervata æquitas in iudicando de Præſbytero, ſiniſtram in partem famoſo. Difficultatem ingerit, quòd totiès Bullæ obſcuritas impu- tetur, veluti exceptio intole- rabilis; cùm certè ſit potiùs Fidei ſingularis prærogativa, obſcura eſſe in rebus credendis, lux in definitione; cùm que mirum non ſit, Propositiones damnatas ſuam illam retinere obſcu- ritatem malignam, quæ ſunt eiacula, vt ſagittent in obſcuro re- ctos corde.

63 Difficultatem ingerit, quòd cùm exponatur, quanam fuerit intentio Prælatorum in Comitijſ, & extrà per totum Regnum maiori ex parte, in irritum deveniſſe dicatur ob Theologos, & Fideles, neſci- mus quos, recalcitrantes; quaſi Maiorum Eccleſiæ Præſulum non ſit co- èrcere inferiores, non ſegniter ad illos trahi; nec videtur dubitabile, ſimul cum Prælatiſ illiſ Subditos alios maiori etiàm ex parte obſequen- tes iſſe, quod innatum eſt ovibus ergà Paſtores.

64 Difficultatem ingerit, quòd non agnoſcatur medium in eo quòd ornamenti ſolius loco Episcopales Declarationes ſe habeant, aut legem eſſe certò ligantem, definitivam que ſenſù indubitabilis fortian- tur; cùm certè vel in Commentarijſ ad Sacros Libros intueamur, non illa eſſe mera ornamenta, nec legem omninò de ſenſu certificantem, quandò vniformes, certi que non conveniunt Eccleſiæ Vniverſaliſ Ma- giſtri; ſempèr autèm iuvant pro qualitate authoritatis, & vniformitatis, nè dociles animi à ſemita tutiori, & vero ſimiliori deviant, & in Fi- de literæ maneat expeditiores, vt ad præſens illiſ Prælatiſ viſum eſt prudentiſſimè.

65 Difficultatem ingerit, quòd ſine probatione ſupponatur, con- trà fas & decus ſpectabilium adeò Præſulum, Declarationes ipſorum procedere in ſenſu violento, & alieno à ſenſu Bullæ obvio; nec benè confunditur ſenſus Authoriſ occultus, aut internus, de quo nihil Præ- lati, ( quandoquidèm *Eccleſia non iudicat de occultis que ſoli Deo cor- dium ſcrutatori innotescunt*, vt ad rem noſtràm præmonitum faciebat In- nocentiuſ XII. \* ), cum ſenſu exteriùs expreſſo, & ſic ad mentem Authoriſ collecto.

66 Ce-

\* In Brevi ad Episcopos Belgij 24. Nov. 1696.



66 Cadit ergò tota machina, vt Pontifex compelli censeatur exponere, quod ne verbo quidem illi Prælati exigebant; nec à Sancta Sede alienum silentio prætermittere, non auctà nec diminutà Scriptorum authoritate, Commentaria, Declarationes ve ab Inferioribus elaboratas. Nec moramur in querelis, sine probatione allegatis, de multipliciter læsà exactione; nec de partialitate in Molinismum (quo nomine læditur atrocius, quàm lædi queat Quesnelli fama, illius Societatis doctrina, quæ nimis voluntariè contraponitur doctrinæ Augustini, & Thomæ, quæ que non modò tolerata, sed vindicata est ab Ecclesià non semel, vt maximè contra 4am. Iansenij); nec de non seruatà æquitate in iudicando (non temerè, sed tabulis exactissimis) de Ianseniana mente, ac voce Authoris.

### S U M M A.

67 **P**ROBAT iam V. Illma. D. intentam in Papà silentium abrumpendi obligationem, ex parte suà, & Coepiscoporum, qui decreverunt suspendere Acceptationem, vsquè dum à Papà obtinerent Declarationes. Præmonet V. Illma. D., non ignorasse opinionis huius Prælatos, iure ipsis competere donare. quod exigebant; Apostolorum esse Successores, Depositi eiusdem cum Papà Thesaurarios, Dispensatores eorundem Mysteriorum, hæredes eiusdem sollicitudinis, in gradu subordinationis præscripto per Canones, immediatè à Christo institutos, vt ipsi soli sint Iudices Doctrinæ, id muneris implendo, siuè per Bullæ reiectionem, siuè per explicationes, Restrictiones ve proprias, verum sensum definientes; non id esse Quæstionis in Gallia (sed tacitos in contrarium Partiaros transmigrare Montes, vt Sectatores inuenirent), ius antè Papam, cum Papà, & post Papam iudicandi, esse ab Episcopali caractere inseparabile, Maximam esse illam, ad quam extrà omnem aleam stabiliendam, declaravit in Cœtæ solemnium Clerus Galliæ anno 1705., Constitutiones Pontificias recipi per modum iudicij.

68 Nihilominùs vt V. Illma. D. subiungit, præstat quandoquæ, vt vtilius acturi pro Veritate, abstineant Episcopi à toto iure suo exercendo; atque sic ad præsens præstare visum est Prælatis, de quibus modò, reliqua omnia immolantibus Veritati, eo sine supplicationem instituere terminis submissionis, & venerationis exquisitè, motiue que Religionis, Statùs, gloriæ Sanctæ Sedis, exemplis Conciliorum, & Pontificum, nunquam renuentium aperire Veritatem; his per moti videbantur sibi impetraturi optata infallibilitè, maximè cum at-

testarentur, \* avellendos esse nunquam ab eà Canonica obedientia, quã tenentur.

69 Propterea fert egerrimè V. Illma. D., quòd ad talem, tantam que supplicationem insensibilis steterit Pontifex, bono postposito, quod afferri posset, malo quod vitari deberet, optatas donando Declarationes. Bona, & mala hæc largè describit V. Illma. D.; Ecclesiam Gallicanam desiderare tranquillitatem illam, quã fruebatur antè Decretum Apostolicum; post Decretum nullibi tranquilliores Dioceses, quàm vbi publicatio suspensã est, nemine ad Tribunalia Sæcularia reclamante, vnione perstante Clerum inter, & Fideles; contra vbi Episcopi Bullam cum Declarationibus suis publicarunt, ibi familiaria colloquia in ore cuiusque fervere oppositionibus ex Scripturã, Patribus, Libris Asceticis, & Catechismis contra Bullam, tepidiùs confidentibus alijs pro Bullã; vbi verò Episcopi Censuris, Formulis, Mandatis, & violentijs, huiusmodi publicationem vrgebant, acriores impetus observari, Capitula Ecclesiastica, Communitates Regularium, Parochos, Presbyteros simplices, acceptationes renuere, vel revocare, instare Prælatos, Magistratus obstare, Capitis cum Clero suorum ne scindi, multiplicari Appellationes ab abusu; cum que primi Parolamenti stemma fuerit, Episcopatus consulere honori, plausibilitè laborasse maximè post Constitutionem in confringendis Mandatis Episcopalis, ait V. Illma. D.; & contra sic mandantes Prælatos repetit illud Petri ep. 1. c. 5. *Pascite qui in vobis est, Gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum, . . . nequè ut dominantes in Cleris, &c.*

## CONVENTIO.

70 **N**udeum vt eruamus, sunt Prælati, qui contra maiori longè numero alios in Gallia, reluctantur acceptare Constitutionem, *Vnigenitus*, nisi prius sibi extorserint Papæ Declarationes; protestantur, ipsos sibi donare posse, quod exigunt, vel etiam abijcere Constitutionem; amore tamèn Veritatis malle pro nunc ab alio petere humillimè, quod ipsi possunt: Pontifex non annuit, & hoc illud silentium, quod clamant importabile. Verùm non silentio presisit omninò suum animum Pontifex Summus, sed exposuit satis per ea verba gravissima, quæ iterùm audiri promerentur: *Eosæm potissimum admonete, ne de vana ergà Nos observantiã sibi frustra blandiantur, dùm à Nobis postulant novas, & prævias Constitutioni nostræ Declarationes,*

\* Pag. 22. *De ne se departir jamais de le obeissance Canonique, que ils lui doi vent,*



*cui debitam interim obedientiam deferre detrectant.* Quæ apertius vana ergà S. Sedem observantia, quam dicere se semper obedientes, qui detrectant debitam Constitutioni Pontificiæ obedientiam deferre? Quid irreverentius, quam postulare novas, & prævias Declarationes, suspendendo interim Acceptationem Bullæ? Nollemus certè nos à Cleri nostri Membris, quantunvis nobilibus, ludificari hoc pacto verbis contrà facta; nolimus tales gerere nos; ergà Summum Præsulem Ecclesiæ, omnium que nostrum.

71 Debitam esse Constitutioni obedientiam, si V. Illma. D. cum suis detrectat; Sanctæ Sedis Antistes indubius tenet, cæteri vel in vestra Galliâ recognoscunt: vbinàm querelæ locus, vt non exaudiri vos, crimini non ferendo vertatis? Non sumus immemores cæteri, maximè dùm gemimus sub onere Angelicis humeris formidando, Dignitatis nostræ in Ecclesiâ Dei ordinis primi; at ingenti Dei beneficio ducimus, quòd simus constituti Membra nobilissima sub Capite nobiliori, omnes sub vno Petri Successore, gradu que subordinationis præscripto, non modò per Canones, sed Iesu-Christi ore. Possumus agere Doctrinæ Iudices in Ecclesiâ, rerum que definitarum declarare sensum, quando cum Maioribus causis hæ omnium Maximæ de Fide non censeantur ad Apostolicam Sedem reservatæ; sed iudicio reformabili absdubiò per Iudicem in Petri Cathedrâ supremum. Ex consequenti malumus ignorare, quòd possimus donare, in gradu equali certitudinis, quòd petere à Sede Petri; quòd Bullam inde habitam, & in materiâ Fidei, morum que declaratoriam ex Cathedrâ reiicere, vel restringere possimus; quòd antè Papam, æquè certò ac ipse, cum Papà, non vocati ab ipso, post Papam, non vt cum ipso conformemur, possimus iudicare res Fidei, & morum; quòd que in hoc sensu Constitutiones id genus Pontificiæ per modum iudicij recipiantur.

72 Si fortè in sensu hoc Galliæ vestræ Clerus in Cœtu aliquo decrevit aliquandò, Constitutiones Pontificias recipi per modum iudicij, non id satis, vt tanquam Maxima indelebilis iaciatur; extrà Montes quoque vestros extenditur longè, latè que, Maximam oppositam tenens, Ecclesia Vniversalis; intrà vestros Montes sæpius aliàs, ante novaturientia hæc tempora, Maximam oppositè contrariam viguisse, memorabimus postcà; in hoc ipso negotio Præsules Gallicanos, paucis exceptis, palàm, ac sæpius professos fuisse, \* *se non quidem animo subiiciendi examini, aut iudicio suo, Decreta hæc præsentia suscepisse*, testis est vnus pro mille, Clemens ipse Pontifex, conveniens suis Literis eosdem.

---

\* Brevi dato ad Episcopos Gallia 17. Mart. 1714.



73 Nescimus præterea, quomodo à censentibus posse ipsos præstare, quod postulant, sit nihilominus agere partes potiores pro Veritate, Declarationes à Papà postulando. Nescimus quomodo censere possint, Papam suas donando Declarationes, tot allaturum bona, tot ablaturum mala, quandò ipsi Bullam non nisi mala intulisse censent, nec seu in Bullà, seu in Declarationibus parati sunt agnoscere purum, & purum verum cum infallibilitate. Nescimus quomodo asseratur nunc, Ecclesiam Gallicanam gavisam fuisse tranquillitate ante Decretum Apostolicum; quandò evidentia facti, dicti que Pontificij notissimum est in Orbis medio, non nisi ob ingentes Galliæ motus, occasione Reflexionum Novi Testamenti, vrgentibus que potissimè cum Magno suo Rege plurimis Galliæ Præsulibus, Pontificem se ad Bullam comparasse. Nescimus quomodo post Decretum tranquilliores sint illæ Dioceses, in quibus publicatio suspensa; nisi forsàn eo tranquillitatis genere, cuius dolens Ecclesia præcinuit Isai. 38. 17. *Et erit in pace amaritudo mea amarissima.*

74 Nescimus quomodo, vbi Episcopi pro Bullà taciti stant, aut vocales vrgent, turbæ illæ, liberæ fabulationes, recursus ad laicos, inferiorum audacia contra Præsules, minutioris populi crisis de Declarationibus, Bullà, & Papà, non sit imago tristissima Schismaticorum; non certè Pontifex Romanus in causà est, sed qui nituntur in irritum Catholici esse non Romani. Nescimus quomodo Prælatus sit, qui apud Magistratus Regios invenerit examen illud appositissimum regulæ Fidei, & morum, quod desiderat in Cathedrâ Ecclesiæ, suis que Confratribus. Nescimus quomodo violentiæ tribuatur Prælatis, ad media recurrere purè Canonica pro coercendis refractarijs; fatemur doceri nos à Prælatorum Principe pascere non coactè, sed illos, qui vt *Gregem Dei* decet, se gerunt obsequentes, non discolos, qui non agnoscentes vocem, virgâ Pastoris egent. Ità Clemens, Petri, & Pauli spiritu actus, ad *Gregem* ait cum Paulo, semper utiquè concordi Petro: *Quid vultis? in virgâ veniam ad vos? an in charitate, & spiritu mansuetudinis?* 1. Cor. 4. 21.

### S U M M A.

75 **C**onvertitur V. Illma. D. ad exempla, vt convincat alienum ab omni Ecclesiæ regulâ, & traditione se gerere SS. D. N., denegando exactas suppliciter Declarationes; sublatâ nimirum eâ refugij viâ; quam prægravatis Ecclesiæ autoritate dederat Ivo Carnotensis Epif. 149., *Vt non descendant in Agyptum propter auxilium, sed ab ipsâ ad ipsam confugiant.*

55 76 Allegat V. Illm. D. ut exemplum rei nostrae accomoda-  
tissimum ex IV. Concilio Generali Chalcedonensi, quod cum Epistola Leonis Magni ad Flavianum contra Eutychetem examinaretur in Concilio, Patres que clamarent, Petrum ore Leonis loquutum esse; cum que Prælati aliquot ex Illyriâ, & Palæstinâ recusarent subscribere pluralitati, nisi Declarationibus donarentur prius ad quedam sibi dubia in Epistolâ recitata; tunc Patres, & Legati Pontificij per duos ad id muneris deputatos instruxere, ut exigebatur; cum que vel sic non cederent illi, convenere ipsos novâ instructione Archiepiscopus Constantinopolis, & Legati, quibus tandem illi cesserunt; neque Leo Pontifex agrè tulit, sive Declarationes postulas fuisse concessas, sive suam Epistolam fuisse in examen evocatum, imò non nisi sub restrictionibus admissam, pronuntiantem ipso epist. 93. alias 63. ad Theodor. Episc. : *Ipsa quoque veritas, & clarius venitefcit, & fortius retinetur, dum que prius Fides docuerat, hæc postea examinatio confirmaret.* Nunquid submissionis minus erga infallibilis authoritatis Concilium, quam erga Papas fallibilis authoritatis?

77 Allegat, vel potius se allegasse ait V. Illma. D. Gregorij Magni epistolam ad Constantium Episcopum Mediolanensem, cuius collaudat Gregorius prudentiam, eo quod noluerit publicare, sed potius ex causâ suppressere tanti Pontificis Decretum quoddam. Allegat V. Illma. D., cum Antistites Istriae rennerent subscribere condemnationi trium Capitulorum, factæ in Concilio V. Generali; Pelagium II. epist. 6. ad eosdem Episcopos ipsos inuisse, ut vel mitterent Romanam Commissarios, vel Ravennæ cum Legatis Papæ in Coetu Sacerdotum convenirent, qua viâ *satisfactionem plenissimam* caperent.

78 Allegat V. Illma. D. Alexandri III. Decretum c. 5. de Rescriptis, monentis solum, aut mandatum suum reverenter impleri, aut non impleti rationabilem causam pretendere: *Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod pravâ nobis fuerit insinuatione suggestum.* Allegat V. Illma. D., cum indebitè murmur in Gallia vulgus irrepsisset contra sanam in Fide Pelagij I. doctrinam, quasi contrariam doctrinæ S. Leonis; tunc illum non coactum, sed spontè. ut omnem à se suspicionem abstergeret, Professionem suæ Fidei publicam fecisse in epistolâ, que est 16., ad Childebertum Regem: quasi verò similem de non benè sanâ Fide suspicionem, & quidem ex Constitutione habitam, abstergere teneatur SS. D. N., saltè rogatus, editis Declarationibus.

79 Dolens demùm, quod si Pontifex silentio pepercit, non fuerit consolationi, ædificationi, & instructioni Fratrum suorum, sed contrikando, comminando, fulmina eiaculando in capita infantium. Concludit



„concludit V. Illma. D. in hæc verba : \* Afflicti nos, quin tamèn com-  
 „moveamur, his excessibus, reponemus illi, quòd quenadmodum Pe-  
 „tri privilegium in suo robore manet, quandò ipse indicaverit iustic-  
 „(iuxta illud S. Leonis ser. 3. *Manet ergò Petri privilegium, ubicun-*  
 „*què ex ipsius fertur equitate iudicium*) ; sic suo fraudatur robore pri-  
 „vilegium, quandò abstinet Pontifex à præiaciendâ regulâ, & funda-  
 „mento æquitatis.

### CONVENTIO.

80 **T**EMPUS loquendi esse, tempus que tacendi, tempus in  
 virgâ veniendi, & in spiritu mansuetudinis, tritum, &  
 sanctum est ex Sacris Testimonijs ; inter inferiorum verò, Superioris  
 que dissidia internoscere, quandò expediat loqui, quando tacere, quan-  
 dò in virgâ, quandò in spiritu venire mansuetudinis, non inferiorum  
 prudentiæ, sed Superioris est labor, singula penès circumstantias, Deo  
 duce, discutientis. Quarè ab exemplis, aliquoties audientis vexatos, &  
 lenitèr alloquentis, arguere, imò concludere, prorsus que obligare sibi  
 supremi Iudicis verba, & oracula, refert nobis figuram paradoxî, nullis  
 quantuncunque pulchris lineis cum similitudine veri realem.

81 Vellems, vt qui se iure vel iniuriâ gravatos Ecclesiæ Ro-  
 manæ autoritate sentiunt, saltèm illud ex Carnotensi sumerent, ne des-  
 cendant in Ægyptum propter auxilium, scilicet in Regiam potestatem ;  
 vt que quandò ab ipsâ ad ipsam Sedem Romanam se confugisse iactant,  
 ad omnem indè manantem eventum eo se se animo componant, quem  
 post eundem Ivonem Gratianus C. *In memoriam* dist. 19., tanquam ex  
 Carolo Magno, & verè Magno Galliæ, Imperij que Principe, in suis  
 Capitularibus præscripsit: *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus S.  
 Romanam, & Apostolicam Sedem; vt que nobis Sacerdotalis Mater est  
 dignitatis, esse debeat Ecclesiastica Magistra rationis. Quarè servanda est  
 cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illâ S. Sede im-  
 ponatur iugum, tamèa feramus, & piâ devotione toleremus.* Ibi autem,  
 sicut & in Concilio Triburiensî anno 895. can. 30., tantum fit excep-  
 tio, quæ facti est, & evidens, quandò videlicet deprehenditur esse res-  
 criptum ab internuntio corruptum. Et hoc adhuc si de præceptis pure  
 positivis, & iudicialibus agatur; de assertis quippè declaratorijs ad Fi-  
 dem,

\* Pag. 26. Affli ex de ces excès, sans en être ébranlez, nous lui dirons, que come  
 le Privilege de Pierre demeure dans sa force, quand il juges selon la Justice, Manet  
 ergò, &c. Aussi ce Privilege perd sa force, quand il cesse de prendre la equité pour  
 fonde ment, & pour regle.



dem, & mores, ut ad præsens, supponendum potius, nullum posse imponi iugum non impositum à Christo, atque ad eò nullum non ferendum.

82 Vellemus, ut in exemplo ex Chalcedonensi Concilio ad rem faciens dissimilitudo plurima observaretur, nec sine probatione intruderetur similitudo prætenfa; nam ibi Actione 2., quandiù inter agendum erat decisio, & illi Episcopi tantùm subdubitare ausi sunt de sensu, à cæteris vnicè verbalis, & præsens data est instructio, ad summum quæ per breves alios dies vltior est concessa, ex tunc damnatione comminata, ni mente integrà subscriberent; hic verò post factam decisionem solemnissimè declaratoriam, sunt qui dubitent, non modo de sensu, sed de re, nec acquiescant instructioni factæ per Confratres, id quæ per dies largos, & annos, annuente patientè Pontifice, quem non sustinent vel comminari damnationem, sollicitare quæ ipsum audent ad revocationem verbi facti.

83 Vndenàm probatur, Epistolam Leonis examinatum, imò restrictè acceptam à Concilio; nec præcisè ad instructionem recitatam, modo quo, & Ephesini prævij Concilij documenta, & Nicæni? Vbi nam Leo talia fundit, dum quòd *prius Fides docuerat*, se docuisse, palàm protestatur? imò præmiserat ibidem: *Qua nostro prius ministerio definierat* (Deus), *universa fraternitatis irretractabili firmavit assensu, &c.* Certè cum casus adductus sit de definitione iam factà per pluralitatem, Papà duce, in Concilio Generali, atque ad eò de definitione apud omnes Catholicos infallibili, & cuius ex consequenti acceptatio non sit capax iure suspendi; quid ad rem intendi exindè possit, non assequimur; quid ve intersit, quòd sine probatione, contra firmum quæ dictamen ipsius, qui iudicaturus est de supplicatione, Pontifex dicatur autoritatis fallibilis.

84 Vellemus, ne confunderentur definitiones declaratorix, qualis præsens, cum decretis merè iudicialibus, & mandatis erga facta peculiararia, & personas; circà quæ quidem potest cadere deceptio, & revocatio, vnde tacitè vel expressè procedere consueverunt Papæ sub adiecto, *si ita est*: tale fuit testimonium Gregorij, ni fallimur lib. 8. epist. 30.: tale Alexandri, ex cuius itè locupletiori Textu ediscere poterimus, Pastoralis in Papà officij esse, *sapè Fratribus, & Coepiscopis nostris secundum varietatem eorum, quæ nobis suggeruntur, asperè, & durè scripsisse*, ut ait idem Alexander.

85 Vellemus, ut ex Pelagij II. epistolà colligeretur, Schismaticos fuisse iam illos, ad quos in Ecclesiam reducendos offerebatur instructio, non ut tanquam immunes à culpà, & à credendo interim de obligati tractarentur, quod ad præsens contendunt alij; atque vno ver-

bo, si expedire tunc censuit Pontifex novam instructionem, quæ in irritum evasit, non expedire potuit censere alius Pontifex, vti de facto se gessit in casu prorsus simili cum Episcopis Hybernæ lib 2. epist. 36. S. Gregorius, qui dum Diaconus, Scriptor fuerat Epistolæ Pelagij.

86 Vellemus, vt Prælatus Catholicus, Frater ordine minor, & coràm Filijs parvulis, de communi omnium Patre, vbi sanctè docet ex Cathedrâ, sine probatione non auderet doctrinæ parùm sanæ fingere suspicionem, candorem atrâ bili deturpando; miretur minùs, si cum Pelagius I. Regi humiliter quærenti responderit professione Fidei, non itâ dignetur verba dare Clemens, irreverentèr exquirenti, quæ carpat.

87 Vellemus, vt proindè inclementiæ non vertat quis in optimum Christi Vicarium, quòd similis Iesu exemplari modò conticescat, modò crumpat in illorum non segnem increpationem, qui capere eum volunt in sermone; qui que deveniunt consue (proh! Quid Hereticorum auribus dulcius?), vt Petri privilegium pendere faciant ab æquitate, quæ fortè desit; nempè actum est de privilegio, equè aptabili cuicunque, si verò æquitatem servet, æquè auferibili à pleno etiam Concilio, si scilicèt non servet æquitatem. Leo quidè, qui privilegium asseruit, vbi fertur ex Petri æquitate iudicium, non mobilem, sed immobilem supposuit æquitatem; quod vt exponeret, adiunxit: *Nec nimia est vel severitas, vel remissio, vbi nihil erit ligatum, nihil solutum, nisi quod B. Petrus (in Successoribus etiàm suis, vt concludit) aut solverit, aut ligaverit.*

### §. III.

#### S U M M A.

88 **A** Rt. 3. exponere, probare que aggreditur V. Illma. D. limites, quos Ecclesia præfixit Pontificum auctoritati; quod suis ovibus agnitum oportere inquit maximè nunc temporis, quandò seu præoccupationibus proprijs, seu adulantium artificijs, vltra fas nituntur Papæ contra Leges Iesu-Christi, Canonum statuta, principia que Iuris Divini, & Naturalis: in quæ omnia labilem esse omnem Pontificem, assererat Paulus ad Hæbr. 5. 1. *Omnis nanque Pontifex ex hominibus assumptus ... & ipse circumdatus est infirmitate.*

89 Præmissò, quòd cum Papæ, Sedis que Apostolicæ nomina essent antiquitùs per priora sex sæcula Episcopis communia, nunc iam titulo speciali conveniunt Pontifici Romano; in eo V. Illma. D. recog-



„recognoscendum protestatur, residere Vnitatis Centrum, communem  
 „Fidelium Patrem, Successorem Principis Apostolorum, visibile Caput  
 „Ecclesię, primum Iesu-Christi Vicarium, præcipuum Fidei Custodem,  
 „Pontificem que prerogativis suę Dignitatis superiorem cæteris Epif-  
 „copis, modo quo Petrus cæteris Apostolis; recognoscendum ex conse-  
 „quenti ait Primatum in illo, non honoris tantum, sed etiã Jurisdi-  
 „ctionis ex institutione Divinã, quatenus Papę incumbit invigilare par-  
 „ticularibus cunctis Ecclesijs, sibi que dependentes in gubernatione suã  
 „facere omnes Episcopos, in ordine ad Canonum executionem, & Ec-  
 „clesię Vniversalis Decreta quoad Fidem, & mores, aut Disciplinam;  
 „recognoscendum in ipso tandẽ Primum, spectabiliorem que Minis-  
 „trum potestatis, & authoritatis Ecclesię, primas habentem partes in  
 „quęstionibus Fidei, & cuius Decreta omnes attingunt Ecclesias.

„ 90 Quantum ad privilegia Dispensationes concedendi, conse-  
 „rendi cum exemptione Beneficia, Bullas expediendi, iudicandi Cau-  
 „sas vltimo recurſu, & similia; monet V. Illma. D., non hæc Papę  
 „competere titulo Primatũs, sed Conciliorum, Episcoporum, & Prin-  
 „cipum concessione voluntariã, intuitu boni communis Ecclesię Vni-  
 „versalis.

## CONVENTIO.

91 **P**APAM esse hominem, ipsum que hominem purum ab  
 opposito Christi Iesu, atque adeo infirmitate circunda-  
 tum, & in multis, seu ignorantia, seu malitia peccabilem, ignorat ne-  
 mo, & est supervacaneum Textu Sacro probare; quod ex privilegio in-  
 firmitas sua firmetur ad hæc vel illa, nec ne, hoc altioris est indaginis;  
 quod que ad populum referre abdita hæc expediat, maximẽ in Gal-  
 lia, & nunc temporis, & quidem coarctando potius, quam ampliando  
 Pontificiam Dignitatem, percipimus ægerimẽ. Propẽ sunt Hæretici con-  
 tra Pontificiam Dignitatem effrenatissimi, permisti Ianseniani vix nisi  
 voce tenus creduli eiusdem Dignitatis; quid non proficient eiusmodi no-  
 vissimã partialitate, in Catholicos inspersã ore publico Pastorum? quid  
 boni hauriet vulgus inspiens? quid nisi ferẽ dedignari parvulorum ad-  
 blandiente balbutie Papam dicere, revereri que vt omnium Patrem?  
 quid illis nosse interest, quod sicut aliquandò Episcopi nomen fuit com-  
 mune Presbyteris, & Presbyteri sunt dicti manus imponere, sic Papę,  
 Sedis que Apostolicę nomina fuerint aliquandò communia Episcopis,  
 & Sedi Episcopali?

92 Quę Dignitatis in Pontifice Summo recognoscuntur à V. Illmã.  
 D., grati excipimus, & exosculamur; demonstrant que, quã fuerit hæ-



reditario quasi iure à Maioribus innata in Galliarum Regno Christianissimo ergà Pontificem Fides, & observantia. Sed quàm non modicè postremis temporibus offuscari cœperit hoc lumen, internoscitur modò, & palpabitur magis; quandoquidem ipsa quoquè privilegia innegabilia recitantur, ex parte satis æquivocè, ex parte importuna intrudendo, ipsa que incerta, vel etiam à veritate alienissima, tanquàm compertas veritates sine probatione divulgando, semper que detrahendo Pontificiæ Dignitati.

93 Talia sunt sic exprimere Papæ iurisdictionem, quasi non habeat immediatam in omnes Ecclesiæ oves; quasi tantùm evadat Canonum exequutor, non etiam dispensator; quasi ab Ecclesiâ, non immediatè à Christo, constitutus sit Ecclesiæ Minister præcipuus; quasi Causas tantùm habeat iudicare per viam Appellationis, & ultimo recursus; & quasi exceptio fieri debeat in ordine ad id ipsum, & ad Dispensationes, Beneficia, & Bullas, nec ferri debeat, quòd iure divino ipsius sit determinare.

#### S U M M A.

94 **P**ost expositam extensionem, ut ait, Potestatis Pontificiæ, procedit V. Illma. D. ad limites præfigendos; primò autèm ab eo, quòd talis potestas purè sit spiritualis, & in ordine ad salutem animarum, prout Gallix Clerus credidit semper, & declaratum habet in Comitijis anni 1682., iuxtà Sacros Textus, *Regnum meum non est de hoc mundo*, Ioan. 18. 36. *Reddite ergò, que sunt Cæsaris Cæsari*, Matt. 22. 21. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, &c. Rom. 13.

93 Quibus luculentissimis Textibus, nec nisi per falsas, & violentas interpretationes obscurabilibus, evincitur planè, Potestatem Ecclesiasticam nec directè, nec indirectè posse in res Civiles, & temporales exerceri; quotiès verò Papæ devenere ad extremum Reges deponendi, suis Statibus spoliandi, à iuramento fidelitatis dispensandi Subditos, aggressi sunt ipsi contra Iesu-Christi leges, inquit V. Illma. D., quibus legibus addicti fuerant sui Prædecessores per mille annos, & ultra; concludit que: \* Cavete procùl, Fratres mei admodùm

---

\* Pag. 28. *Gardez vous bien, M. T. C. F., des Novateurs, qui voudroient vous insinuer une Doctrine contraire à celle, dont le Clergè de Franco fait profession; & inébranlables malgré toutes les Censures, que Rome pourroit porter dans l'obéissance, que vous avez juré à votre Souverain, soyez persuadés avec nous, que il ne est pas moins de l'intérêt de la Verité, que de le avantage de l'Eglise, & de le Etat, de restraindre la Puissance des Papes aux choses Spirituelles, & qui concernent le Salut.*

5, Chari à Novatoribus, qui vellent inspirare vobis doctrinam illi, quam  
 „ Clerus Gallia profitetur, contrariam; & minimè nutabundi, quantaf-  
 „ cunque Roma evomere queat Censuras contra obedientiam, vestro Su-  
 „ premo Principi iuratam, persuasi nobiscum estote, non minùs inte-  
 „ resse Veritati, quàm Ecclesiæ, vel Statui, restringere Pontificiam Po-  
 „ testatem rebus spiritualibus, & concernentibus salutem.

### CONVENTIO.

96 **S**i ad negotium præsens referret, possemus reponere non  
 pauca, nec difficulter parabilia, contra priorem istius mo-  
 di exceptionem. Possemus reponere, Regios non deesse Ministros, qui  
 pro Potestate Regia pugnent acerrimè, nullis parcendo lin itibus, con-  
 tra Pontificiam ampliandis; atquè adè videtur exoticum, Præatum Ec-  
 clesiasticum quasi subsidiarium adherere illis, nec minùs ardentè. Pos-  
 semus reponere, quemadmodum Regia Potestas non nisi ad res Civi-  
 les, & temporales suprema est, & tamèn indirectè saltèm, ad spiritua-  
 lia extenditur non semèl; ità (imò à fortiori, vt aiunt, cum versemur  
 in lineà superiori, modo quo anima superior est corpore, sèlus æterna  
 superior temporali) non mirum, quòd etsi Potestas Pontificia non nisi  
 ad spiritualia, & salutem animarum directè suprema est, indirectè ad  
 temporalia extendatur in raro aliquo eventu. Possemus reponere, quòd  
 qui dixit, *Regnum meum non est de hoc Mundo*, dixit Mat. ult. *Da-  
 ta est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra*; qui dixit, *Reddite  
 quæ sunt Cæsaris Cæri*, addidit è vestigio, *& quæ sunt Dei Deo*; qui  
 dixit, *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, perrexit sup-  
 ponendo, intèr potestates supremas sublimiori subdendam esse minùs  
 sublimem: locum ergò Textus Sacri opportunissimè præstant, vt non fal-  
 sò, non violentè, sed suà sponte intelligantur, quandò Christi Reg-  
 num à Regno Mundi sciungitur directè, indirectè verò quandò Mun-  
 dus frenari potest, & lascivit in Christum, inusitato postremo impetu  
 coerceatur.

97 Possemus reponere, vt mitissimè loquamur, inconsideratè ni-  
 miùm censerì contra Iesu-Christi leges egisse Pontifices, qui facta di-  
 cta que in id ipsum dedere; tales S. Zacharias, qui anno 750., Chil-  
 derico deposito, Pipinum Regem Gallia constituit, S. Leo III., qui  
 anno 800., reiecto Imperatore Orientis, Carolum Magnum in Occi-  
 dente vnicum erexit Imperatorem, S. Gregorius VII., qui anno 1076.  
 in Romana Synodo Henricum ab Imperio deiecit, Innocentius III., qui  
 sæculo 13. Polonia Regem deposuit, consequentèr ad definita sub ipso  
 in Conc. Gene. Lateranensi C. *Excommunicamus* de Hæreticis §. *Mo-*  
*dentur*,



*neantur*, Innocentius IV., qui eodem sæculo in Conc. Gene. Lugdunensi C. *Ad Apostolica* de sent. & re iudicatà in 6. Fridericum II. ab Imperio deturbandum censuit: eorum, & sic de pluribus, alij vt Sancti habentur in Martyrologijs, alij doctrinà, & pietate insignes, aliqui simul cum Concilijs agentes, docentes ve, duo que illorum primi, vt consulerent Regno, & Regibus Gallix, atque ipsi rursus longè antè mille annos exactos.

98 Possemus reponere, nescire nos, quo titulo Novatorum esse censeatur doctrina vniformis ab ævo Canonistarum, & Theologorum, vnice ab OKamo revocata in dubium Schismate feruente, plaudentibus nuperis Hæreticis, paucis que Catholicis; nec citata Cleri Gallix decisio (de quà nonnihil postea) par est ad innovandum vetera, & nova inveteranda, non modò extrà, sed nec intrà Galliam: certè anno 1614. in Comitijs Regni, agente partes Cleri, & Nobilium doctissimo Cardinali Perronio, doctrina prævaluit hæc nostra, contraria solum pars adoptata per insulam Regni Ordinem; extat que oratio victrix in Actis iussu Cleri editis anno 1673.

99 Possemus adhuc reponere, nescire quoque nos, quo nihilominus zelo Prælati digno, V. Illma. D. in Monitorio Pastoralis oves suas obfirmet contra Romana fulmina Censurarum, ne à iurata Principi obedientià deficiant; quasi, quod Deus avertat, in conflictu Principis, & Papæ discordantium, timendum nihil sit inobedienciæ in Pontificem, id que asseverante vno ex illis, qui à die consecrationis nostræ oppositum promissimus iure iurando.

100 Cùm tamèn hæc, & talia reponere abundè possemus; tantùm sistimus in eo, quod minimè auspicemur, quo fine, quà ve datà vel acceptà occasione, sub Principe verè Christianissimo, & nihil enixius curante quàm pacem Ecclesiæ, humili recursu factò ad Sedem Apostolicam, ex abrupto tamèn Populus à Prælato suo instruatur. vt tanquàm illicò erupturo bello Principem inter & Papam, contra Papam pro suo Principe popularitèr consistat. Satius multò vester Causinus \* elegantèr hortabatur, ab huiusmodi comparatione, quæstione que invidiosà venerabundè abstinere.

## S U M M A.

101 **P**rocedit V. Illma. D. ad alteram exceptionem, in eo collocandam, quòd ne in spiritalibus quidè Pontificia, & sit absoluta, & independens à Sacrorum Canonum

\* Causinus p. 5. sua Regia Sancta in Clotilde f. 6.



num statutis; nec se habere similiter Ecclesie gubernationem, & Monarchiarum, quarum penes Principem potestas est illimitata, Subditis supremè dominatur, legibus non subditur ille, qui solum in Deo Dominum recognoscit, nullus ei potest resistere in faciem, nullus ab ipso exigere facti rationem.

102 Non sic in Ecclesiastica gubernatione, ait, probat que abundè satis V. Illma. D., cum eiusmodi potestas absoluta resideat penes Ecclesiam, quæ sola constituta est à Iesu-Christo Depositi Custos, sola Mater, & Doctrina non modò Fidelium omnium, nec modò Memborum omnium Collegij Episcopalis, sed etiàm Capitis Collegij huius, iuxtà illud, nullius exceptione factà, *Dic Ecclesia*; nimirum Ecclesie, coràm quà Paulus Petrum reprehendit, cui Apostolorum Princeps reddidit sui facti rationem, quæ anathema dicit Pontificibus, quoties evenit, ipsos Heresis esse Doctores, Fautores ve, vt contigit in VI. Synodo Generali ergà Honorium Papam; eadem Ecclesia est, cuius superioritatem in Papas vel ipsi Pontifices agnovere, vt bene Innocentius III. li. 15. epist. 106., vbi si Matrimonium quoddam dissolveret *absque Generalis Concilij deliberatione*, inter alia inquit, *for-san Ordinis, & Officij nobis periculum immineret*; est rursus Ecclesia, quæ Papas deponit, vt contigit in Concilio Pisano, & in Constantiensi, definitum que in hoc sess. 4. & 5., Tribunal suum esse independentem, Papas à Legibus Concilij pendere.

103 Fert V. Illma. D. ægrè nimis, quòd Theologi Romani tentent minuere, vanis subtilitatibus, adulatione, artificijs, enitendo adversus authentica notoriè Acta Concilij prædicti, destruentis conatus ambitiosæ Curie, auctoritatem; quasi posset suaderi sine probatione, sine testibus, vel Acta non esse fidelia, vel vigore carere nisi pro tempore Schismatis, vel posse deleri Martini V. iam electi approbationem, vel itèm Successoris Eugenij IV. approbationem de Concilio Basileensi, renovante Coustantiensis prædicta Decreta.

104 Quicquid tenebrarum aspergatur Romæ huic Veritati, se cum Regnicolis non oclufurum esse oculos luci, protestatur V. Illma. D., vsurpatis ad hoc verbis ex Epistola Cardinalis Lotharingie, data Tridenti, dum interesset Concilio, ad Papam anno 1563.; teste ibi Magno illo Cardinali, Universitas Parisiensis iam tunc tenebat auctoritatem Concilij supra Papam, \* Hereticos censendo, qui Gallie oppositum teneant, Concilium Constanciense totaliter Occumenicum reputando, sicut & Basileense, non ita Florentinum, pro quo

quo

quo asserto Galli vsquè ad sanguinis effusionem stabunt. Magnificat huiusmodi expressions, velut in Purpurato ad miraculum eximias, V. Illma. D. ; & similiter tanto Viro æquiparat præsentem Eminentissimum Noallium.

105 Subdit huic, inter Gallicas veritates vni, annuisse præcipuos, sanctiores que Papas; in Specimen allegando Celestinum I. *epist. ad Illi. Episc. Gelasium I. epist. ad Episc. Darda. Gregorium M. lib. 1. epist. 24.*, quasi fateantur, authoritatem Pontificiam regulari per Canones, quibus subijciatur.

106 Addit V. Illma. D., abusum esse frequentem, Christi verba Matt. 16. *Tu es Petrus, &c.* restringere ad solam Petri personam, & Successorum; \* cum tamen non Petro in propria persona, sed in personam totius Ecclesiæ, concessam esse Petro Clavium potestatem, omnium sit sententia Patrum, adductis Chrysolomo in *Acta hom. 3.* Cypriano *li. de Vnit.* Augustino *C. 50. de Agone Christiano.*

## CONVENTIO.

107 Nescimus quo fato, convenire vix possimus in faciendo aliquo sociabili gradu, ut optaremus, V. Illma. D. per suæ Galliæ semitas eunte cum aliquibus miram confidentiam; nobis via regiâ procedentibus cum cæteris, alius que more bovis lasi figendo pedem, ut cum Hieronymo loquamur.

108 Convenire non possumus in eo, quod simpliciter ab Ecclesiâ gubernatio Monarchica secludatur, omnes licet Catholici adversus huius temporis Hæreticos Ecclesiæ Monarchiam stabiliant, quibuscum abundè Bellarminus, \* Sicut, & contra Marcum Antonium de Dominis, impium Apostatam, & contra Richerium, Vigorium que vix Catholicos, egregiè tuetur, primoribus Scholæ Parisiensis allegatis, gravissimus inter Moderniores ex ipsis Duvalius. \* Dum *absoluta* potestas Ecclesiastica residere penes Ecclesiam dicitur, & *sola* Ecclesiâ esse Depositi Custos, &c.; vel sumitur Ecclesiâ ut à Papâ independens, vel non; & utrovis modo Aristocraciâ, vel etiam Democratiâ inducitur pro Monarchiâ, Hæreticis connivendo, in Ecclesiam: nam si Ecclesiâ, ut à Papâ independens (& ita quidem, cum & hoc suo Capite Superior constituatur), *absoluta*, & *sola*, in sua gubernatione dicitur, in Populo Chri-

\* Pag. 30. Vous devez, dis-je, conclure, que S. Pierre ne à pas reçu le pouvoir des Clefs en sa propre personne, mais en la personne de toute la Eglise.

\* Bellar. lib. 1. de Pontifice.

\* Duvalius 2. 2. p. 1. de Pontifice q. 2.



Christiano sistemus, aut in Episcopali ordine non tot, quin plurium Antistitum: si vt à Papà dependens, dicitur *sola*, & *absoluta*, in suà gubernatione, præterquàm est impropria, & contrà tenorem loquutio, non tollitur ne Papà sit præcisè vnus de tam multis absolutissimè iuradantibus, quod omnem Monarchiæ abolet figuram. Sit Regum, & Imperatorum potestas *illimitata* (de quo tamen nomine, si oporteret, ipsi que adiunctà expositione, reponere non pauca possemus); quid ad nos? Quo itèm Episcopali spiritu toti futuri sumus, in magnificandà Regia potestate, deprimendà comparatiuè potestate Pontificia.

109 Convenire non possumus in eo, quòd Ecclesia sui etiàm Capite Superior monstròsè constituatur; sat Corpori, quòd species ministrat suo Capiti, cuius solius est docere, vt Membra moveantur. Nihil debilius eo Textu, *Dic Ecclesiæ*, de quo vsquè ad has novissimas contentiones nesciebatur aliud continere, quàm correctionis fraternæ ultimam demonstrationem, dicendo nimirum Ecclesiæ, vel in Ecclesià per anathema promulgando, peccatum illius, qui privatam respuit correctionem: quid indè? porrò si Dei nomine Propheta Regi dixisset, *Dic Regno*, si peccaverit in te Frater tuus; quis indè subditum Regno Regem collegisset? Leuissimè non minùs fraterna Pauli correctio, quæ in quemlibet respectu cuiuslibet cadit, cum superioritate confunditur; leuissimè tribuitur inferioritati, quòd Petro placuerit, exponere coràm rationem sui facti, modo quo & Reges quandoquè faciunt.

110 Convenire non possumus in eo, quòd si forte aliquandò dictum est anathema Pontifici, aberranti vt homini privato (quod nec de Honorio, nec de alio satis convinci, sustineremus, si multum referret), colligatur indè superioritas Ecclesiæ ad Pontificem vt talem; nunquid sæpè sæpiùs, & iustissimè, dixerunt Papæ anathema Concilij?

111 Convenire non possumus in eo, quòd vel etiàm cum Concilio Generali posset Innocentius III. illam, pro qua rogabatur, Matrimonij dissolutionem facere; rogabatur enim à Philippo Galliz Rege, dissolvere Matrimonium ritè celebratum, consummatum que, ipsius Regis cum Regina, negat que Pontifex, se id posse, contrà sententiam Evangelicam, *Quod Deus coniunxit, homo non separet*: nunquid, quod Deus ità coniunxit, separare Concilium posset? quia ergò si faceret Pontifex contrà ius Divinum, argueretur hæresis, & pro tali excepto casu tentari posset à Concilio deponi, propterea tò forsàn adiectum est, minimè aptabile in regulam certam, & generalem; nec conditio de Concilio Generali adiecta est, nisi ad se tuendum à precibus importunis Regis, scilicet sub conditione impossibili, quæ probat nihil, Concilij contrà Evangelium deliberantis.

112 Convenire non possumus in eo, quòd tam ex tripode vt

Orthodoxa in suo prætenso sensu ab aliquo quandoquæ Cœtu Concilia in solâ Galliâ exigantur, quæ ab Ecclesiâ reliquâ non sic habentur, è contrâ ibi deturbentur, quæ alibi habentur inconcussa; non hoc intenoscere, privati numeri opus est, sed prævalentis Vniversalis Ecclesiæ cum Romanâ Sede: de Florentino ergò Concilio dubitare neutiquâm possumus, de Basileensi non possumus dubitare partim esse reprobatum, de Pisano esse dubiæ Fidei, de Constantiensi esse in sensu sano receptum. Quid Florentino desuit pro Sancto, & Oecumenico? Quomodò totalitèr Sanctum Basileense, quòd Schismaticè contrâ certum Papam pugnavit? Quomodò non dubium Pisanum, quòd obtinere nequivit, Ecclesiæ dare certum Papam? Cur de Constantiensi sensus sanus non sit, definita ipsius accipere pro casu Schismatis, pro quo illud totum coactum est, & dubij Papæ? Sic fatemur Concilij esse posse potestate quadam extraordinariâ, deposito Papâ incerto, certum eligere, modo quo Collegij est Cardinalitij, Papâ defuncto, vivum dare; totum hoc absque superioritatis umbrâ, & præcisam apponendo conditionem adventui Spiritus Sancti.

113 Convenire non possumus in eo, quòd contrâ Sedis Romanæ Præsulem, quia spiritali tantum fulmine potentem, Catholico, ipsi que Præsuli non vulgari, liceat agitare Fideles eo expressionum ritu, quo contra Throni Regij Principem, quia gladium portat visibilem, vel mutire nunquâm auderet. Si decreta Constantiensia incomodassent Appellantibus, quàm promptè infirmarentur exceptione, tùm non adhibiti examinis competentis, tùm defectus vniversalitatis, cum sola ex tribus Obedientijs vna concurrisset. Sufficiat nobis sanum dedisse sensum; pro quo & sunt ipsa Concilij verba, *In his qua pertinent ad... extirpationem dicti Schismatis* (quippè quod intermiscetur, & ad Fidem, extrâ rem est, utpotè alludens ad hæreses manifestas, tunc quoquæ damnatas); & sunt verba quoquæ Martini approbantis Acta, non *nisi in materijs Fidei, & conciliaritèr* (nempe non vt in Concilio solùm cum Gersono proposita, sed vt à Concilio demùm, pro solo casu tunc præsentis, approbata) *facta, non alitèr, nec alio modo*. Ficticiam verò esse approbationem Eugenij pro re præsentis, quis ambigat? postquam ipsum Basileense ita recognovit omninò sess. 38. initio: fuit nempe approbatio solùm ad tempus pro bono pacis, vt procederet Concilium, suspensâ interim peculiari censurâ decretorum, vt ipsum Eugenium in medio Florentino apertum fecisse, asserit testis ocularis Card. Turrecremata. \*

114 Convenire non possumus in eo, quòd *Hæreticos* censere liceat illos, qui apud Gallos tenuerint doctrinam, extrâ Galliam ubiquè for-

\* Turrecremata Lib. 2. *Summ. Eccles.* c. 100.



forsàn de Fide, vtpotè in Florentino, clariùs in Lateranensi sub Leone X. sess. 10. ferè definitam, & in Tridentino \* in terminis proxime definibilem suffragijs, ad pluralitatem expositis, lance Hispanorum Patrum præcipue pondus adijciente, nec tam ex meritis, quàm pro bono pacis verbis parcente Pontifice ob Lotharingi minas, & querelas. Nempe Cardinalis ille magnus cum suà Scholà Parisiensi adhuc calebat illo ætu, qui satis infelicitè arserat in Cætu Basileensi; quàm præcoce consilio, agnovit benè pro sua ipsà Gallià, etsi potior aliàs Minister Regius, quàm Pontificius, Illustrissimus Marca \*, egrè ferens, quòd aliqui pro vestris Libertatibus id præcipue vrgeant, *eas alià ratione constare non posse, quàm Apostolica Sedis dignitate in eo maxime imminutà, quòd Pontifex Concilij Generalis authoritati subijciatur.* Ad Eminentissimum Noallium hodie quòd spectat, illud optamus in Domino, videre opere salutari completum, quod S. Emin. D. in votis habuerat, quando post Reflexionum in genere Pontificiam damnationem, quantum ad Propositiones in specie damnandas, literis datis ad Episcopum Aginensem 20. Dec. 1711., & prælo mandatis, in hæc verba scribebat pag. 12.: *Absquè ulla hesitatione omnibus audire volentibus asserui, futurum nunquam, ut quis me videat dissensiones facientem, vel tolerantem in Ecclesia propter Librum, à quo Religio minime pendeat. Addidi me, si SS. D. Pontifici videretur Liber hic ritu congrua proscribendus, Constitutionem eius, & Censuram antè omnes alios summà reverentià amplexurum, daturum que omnibus perfectissimè animi, & cordis obedientiæ exemplum, &c.*

115 Convenire non possumus in eo, quòd Romani Pontifices, ex confessione præcipuorum ex ipsis, asserantur sine distinctione subiecti Concilij, per canones suos eisdem regalantibus; ita quippè, quantum ad canones, ius naturale, vel divinum, aut Fidei exprimentes, modo quo & Concilia ipsa subijciuntur definitionibus suis; ita rursus, ut pariter Concilia, in quantum non vi coactiva, sed directiva per Canones, aut leges Ecclesiæ univèrsales, seu intra, seu extra Concilium à Prædecessoribus latas, vel approbatas, Pontifices obligantur, ex univèrsum Theologorum ingenere doctrinà, & Legislatori tam Civili, quàm Canonico aptabili, cum D. Thomà 1. 2. q. 96. ar. 5. ad 3.: per quæ facillimè aptantur, & cohærent allegatæ SS. Pontificiæ doctrinæ. *Salvâ sempèr in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate,* ut Tridentinum protestatur sess. 7. pro decretis de reformatione, & sess. ult. c. 21. 3 quod commune est Legislatori supremo, quemadmodum sine causâ non la-

\* Pallavi in His. Trid. lib. 20. cap. 9. n. 11. & lib. 21. c. 13. n. 4.

\* Marca lib. 3. sua Concordia c. 7. n. 1.

44  
xare leges, ità ex causà vrgenti dispensare, vel etiàm abrogare.

116 Convenire minimè omnium possumus in eo, quòd non in propria Petri personà, sed in persona totius Ecclesiæ, concessa Petro dicatur clavium potestas; quis talià æquè ferat? de Catholicis nescimus, de Acatholicis notum, & tritum est: nam certè si non personæ Petri, atquè adeò Successoribus etiàm suis privativè, concessa est Clavium potestas, planè nec Primatus, nec speciale quicquam in Petri recognoscendum est Cathedrâ, in quâ nihil nisi virtute Clavium insigne est. Abusus ne est intelligentia literalissima omnium Catholicorum de personà Petri, & Successoribus? ad manum est Bellarminus \* cum divite catenâ Patrum, & clamat pro Petro vt signantissimâ petrâ illud Domini pronomen, *supèr banc*. Est ne tamèn omnium sententiâ Patrum opposita intelligentia? nihil minùs: quippè qui allegantur, & similiter alij, exponunt de Petro Claves habente, non ad se, sed ad Ecclesiam, vt que representat Ecclesiam tanquàm Caput, sed in se vno habens, quod det, non quia recipiat; pronum est ex contextu colligere, nec dissimiliter Concilia, cum representent Ecclesiam Vniversalem, ad quam totam habent in se Claves, habent tamèn in se.

## S U M M A,

117 **P**ROcedendo ad novam exceptionem V. Illma. D., probare docere que assumit, Decreta Pontificia in materia Fidei, quantumvis veneranda, vt infallibilia tamèn inspecta esse nunquàm; & mirandum, quòd opposita opinio, probationibus destituta prorsùs, Propugnatores enumeret non modò Doctores, sed etiam Episcopos Catholicos.

118 Cœterùm, vt pro re compertâ statuit V. Illma. D., Gallia Clerus toti Mundo Christiano intimavit, Doctrinæ suæ punctum quoddam esse, Papas errare posse, suas que Decisiones, tametsi ponderis valdè magni, non esse irreformabiles, nisi Ecclesiæ consensus accedat; Universitates Regni docuisse, docere que constantè id ipsum; nominatim que Parisiensem, quæ vt scientiæ, ac doctrinæ centrum proponitur, Censuris sempèr malè habuisse Propositiones, quæ Infallibilitatis sensa præferrent; primos similiter Magistratus eadem sensa impunita nunquàm reliquisse, adversùs quoscunque temerè osos in contrarium, vtpotè Libertatibus Regni contraria, periculosa publicæ Statùs tranquillitati, & Personæ Regiæ incolumitati.

119 Conqueritur V. Illma. D., quòd tamèn ex mente plurium  
Pri-

\* Bellar. lib. 1. de Pontifice c. 10.



Privatorum deleri nunquam potuerint infallibilitatis huiusmodi falsa  
 præiudicia; & quòd in sua Diocesi, occasione præsentis Constitutio-  
 nis, discursus cæcæ suadentes obedientiam, etsi orti ex ignorantia,  
 & Ultramontanâ educatione, Confessariorum instructione in animas  
 pias sese insinuaverint. Accingitur proindè V. Illma. D., tanti pericu-  
 li horrore commota, & memor vrgentis nunc maximè obligationis  
 ex munere, ad oves suas certificandas toto pondere authoritatis, im-  
 mediatè sibi à Iesu-Christo concessæ, vt in viâ salutis incedant, vt que  
 præseruentur à seductione ducentium cæcorum, & à fermento pere-  
 grinarum Doctrinarum, intèr alias Capitis Ecclesiæ veras prærogativas  
 falsò intrudentium Infallibilitatem.

120 Probat V. Illma. D. eo vulgari, & ad populum aptiori  
 argumento, quod sumitur à praxi Ecclesiæ, quæ per omnia retrò sæ-  
 cula consuevit, non nisi coactis Oecumenicis Concilijs, Hæreses ex-  
 tirpare; vt quid verò sic immensis terrâ mari que per totum Orbem  
 sumptibus Prælati commoverentur, si sat esset facillimè recurrere Ro-  
 mam ad Sedem Petri? Probat item V. Illma. D. ex S. Augustino ep.  
 43., inducente Donatistas, vt siquidè non acquiescerent Melchia-  
 dis Papæ cum suo Clero decisioni, ad plenarium Ecclesiæ Concilium  
 appellarent, ibi: *Eccè putemus, illos Episcopos, qui Roma iudicarunt,*  
*non bonos Iudices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ Concilium,*  
*&c.* Simul ex S. Hieronymo, qui epist. ad Evagr., factâ compara-  
 tione Romanæ solius Ecclesiæ cum Ecclesiâ Vniuersali, aiebat: *Si quaeritur*  
*authoritas, Orbis maior est Urbe.* Probat præterea V. Illma. D.  
 exemplis Pontificum, qui de facto erraverunt in Fide; quales Libe-  
 rius, subscribendo Formulari Ariano, Honorius, Monothelitis adfa-  
 vendo, Gregorius II., decidendo contrâ Legem Evangelicam dissol-  
 vi potuisse quoddam Matrimonium, Ioannes XXII., docendo, ani-  
 mas iustorum carere visione Dei vsque ad Resurrectionem.

121 Probat præcipuè V. Illma. D. ex confessione præcipuorum  
 ex Pontificibus, se ipsos fallibiles agnoscentium; talis Gregorius XI.  
 in Testamento suo retractando, si quid fortè, *in Consistorio, in Con-*  
*cilio, vel Sermonibus, &c.* excidisset erroneè contrâ Catholicam Fi-  
 dem; talis & Adrianus VI., vt certum id ex professo tradens in 4.  
 dist. 3.

CONVENTIO.

122 **E**St dicere incredibili confidentiâ: Gallia per quosdam  
 in Cœtu Præsules, imbutos doctrinâ pro tunc præva-  
 lente in Parisiensi, aliàs intèr Regni Universtitates, protectas que Arres-  
 tis

tis Magistratum, tandem aliquando decrevit, Papam in rebus Fidei definiendis esse fallibilem: ergo repugnanda viritim infallibilitas, tanquam opinio deslituta probationibus, iuxta præjudicia falsa Privatorum, orta ex ignorantia, & Ultramontana educatione, qua seducuntur animæ à cæcis ductoribus, & fermento Doctrinarum peregrinarum infectis. Deus bone! quis crederet, talia non in obscuro multisitari, sed in media luce fundi posse, à Viro docto, à Præsule præclaro, à Pastore Principe, baculo & acutis clamoribus Gregem Catholicum ducente ad pascua salutis? Bonâ veniâ V. Illmæ. D., sunt quibus debilitatur usque ad ultimas fibras Antecedens; sunt, quibus evadit Consequens intolerabile

123 Debilitatur Antecedens, quatenus tandem aliquando illud Gallia decrevit, nimirum in Cœtu Prælatorum anni 1682.; at non modo contra formalia Gallia Concilia, Patres que suos, per totam retro Antiquitatem, ut videre dat Aguirrius Cardinalis. \*; sed etiam contra proximè datas anno 1653. literas binas nobilioris fortè Cœtus ad SS. in Causâ Jansenij, Præsulibus Gallia nomine inter alia ibi conceptis verbis proferentibus, contigisse tunc, sicut in Causâ Pelagij olim, *iuxta veterem Fidei regulam*, ut Ecclesia Catholica, *sola Cathedra Petri communionem, & auctoritate fulta*, etiam extra Concilium Oecumenicum, hæresis utriusque damnationi absque cunctatione subscripserit, perspectum, habendo, *iudicia pro sancienda regulâ Fidei à Summis Pontificibus lata, . . . divinâ equè, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio. ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur*; novissima quoque altera Cleri declaratio non ita extitit firma, quin aliqui ex Assertoribus retractaverint se, de cæteris retractationem Innocentio XII. promiserit Rex Christianissimus, ut literis ad verbum datis exposuit ob oculos Cardinalis Sfondratus. \* Quòd si tamen sustinetur adhuc viritim ea talis declaratio; hoc nobis mirabile, fluctuationem haberi pro certitudine, Principem agnovisse, Præsules nolle verum recognoscere, à se ipsâ defecisse Galliam inopinato eventu, & novissimo.

124 Debilitatur etiam Antecedens, quatenus præcipua Parisiensis Universitas, si tunc Præsules munire potuit eâ novâ doctrinâ, non potuit obscurare, defecisse in hoc à se ipsâ; videre hoc facit, in telles percurrendo clarissimos omnium eiusdem Scholæ Alumnos, annumerandus quoque ipse, Camus Cardinalis. \* Proximè quidem ante novissimam Cleri declarationem, scilicet anno 1662. non ut Præsules in 4. pro-

\* Aguirre de authorita. Pontificis disp. 4. §. 22. à n. 10.

\* Sfondratus in Regali Sacerdotio lib. 4. §. 5. n. 4.

\* Camus de Libertatibus Gallia lib. 7. c. 12.



propositione positivè, sed negativè Doctores in 6. dicere audebant, *Non esse doctrinam, nec dogma Facultatis, quòd Summus Pontifex, nullo accedente Ecclesie consensu, sit infallibilis*; antea verò, vt præ manibus extat ad calcem Magistri Sententiarum in Scripto illius Facultatis, sic valdè per oppositum contrà errores cuiusdam Ioannis de Montefino positivè censebant: *Ad Sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate iudiciali supremà circa ea, quæ sunt Fidei, iudicialitè definire*. Porrò à suo pristino statu venerandam adèò Vniversitatem ità facilè moveri, est deficere non parùm à centro scientiæ, ac doctrinæ, suas que Censuras contrà se agere, vt Sequanam non migrent.

125 Debilitatur adhuc Antecedens, quatenus si Parlamenta Regni, præsertim verò Parisiense, obstiterè aliquandò, ad Principis exacerbati gustum, hæreditario conceptui Pontificiæ Infallibilitatis; in hoc ipso defecerunt à Maioribus suis, vt splendide testificatum habemus in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10., conveniente ibi Carolo VII. Rege Christianissimo, in abrogandis omnibus Pragmaticis Sanctionibus, & Pisanis, Basileensibus que decretis, quæ obstare possent agnoscendæ in Papà infallibilitati; nec parùm solemnitè nomine Senatùs Parisiensis suus tunc Præses \* tempore Ludovici XI., oratione ad Regem habità testificabatur ar. 20., vno eodem que nomine Papam, & Sedem Apostolicam, Ecclesiam que Romanam exprimendo, Curiam nolle in aliquo derogare supremi Pastoris Dignitati: *Protestans insuper, si quid dictum, factum que à se fuerit, quòd correctione egeat, illud totum velle se omnino Ecclesie Sancte Apostolicæ, & Romanæ determinationi subijcere, quæ errare non potest, iuxta Canonem, Arcet. 24. q. 1.* Fortè non alitè unquam se se egissent Magistratus, nisi Prælatorum aliqui, supervenientibus dissidijs Aulicis, mallent Aulæ connivere, quàm resistere.

126 Quo posito de Antecedenti, liquet facilè, quàm evadat Consequens intolerabile; si enim ex opinione proprià cum formidine putaret quis contra infalibilitatem, tolerari utcunquè posset; quòd autem ea recens in Gallia opinio divendatur vt inalterabile dogma, quicquid Ecclesia Dei ab ævo intrà, & adhuc modò extrà Galliam vt dogma ex adverso reputet, ac reputaverit, quid intolerabilius? Ultramontani sumus, Papà duce longè, latè que omnes per Orbem dispersi, Ecclesiam constituendo, si non Gallicanam, at Vniversalem; omnes, & singuli, difficilè alicuius exceptione inventà, convenimus scientes, prudentes que, in agnoscenda Infallibilitate loquentis ex Petri Catedrà, non ex levi, sed ineluctabilibus muniti probationibus; sic nos tenet

Fidei

\* Camùs sup. lib. 7. c. 11. fine, ex Puteano.

Fidei firmitas, non aliter à Christo promissa, quam *supèr hanc Petram*, ovilis docilitas ergà illum, cui dictum à Christo est, *Pasce oves meas*, firmitas in Fide illius, pro quà rogavit Christus, vt nos in Fide confirmaret; sic nos tenet plus, minùs ve plana intelligentia Conciliorum, præcipuè verò VIII. Synodi Generalis, Pontificum Romanorum, & Patrum, omni exceptione maiorum, inculcatissima expressio, & Ecclesiæ in pace praxis perpetua, tantùm Schismatum tempore nebuloso subnascente oppositâ opinione.

127 Quòd hæc veritas officiat incolumitati Regum, Statùs tranquillitati, sanis Gallix Libertatibus, dùm sermo est de Regno Christianissimo, ne quidèm possumus imaginatione contrectare. Sanior que proindè Parisiensis Doctor Duvalius, \* asserens id ipsum, quod nos & reliqui, censuisse sempèr candidiores, veros que Gallos, subdit egregie: *Nec enim alia est Fides Gallie, & alia Universalis Ecclesiæ, cuius Gallia pars est, ea que nobilissima: VNVS DEVS, VNA FIDES, VNUM BAPTISMA.*

128 Nec probationes allegatæ in oppositum, aut consimiles, nihil in-cogitatum afferentes, deterrere debuissent. Non praxis Ecclesiæ, quasi non nisi coactis Oecumenicis Concilijs per sæcula sint semper Hæreses extirpatæ: imò per tria priora sæcula sine vllò Conciliorum vestigio Ecclesia iam tunc ebullientes Hæreses contrivit, ac sæpissimè in posterum, vt nulli non est obvium; quandoquè verò ventum est ad Concilia, modò Diocesana, modò Nationalia, modò Generalia, ex consensu Pontificis Romani, cuius est pro examine vltiori, vel pro hæreticâ pertinaciâ conterendâ magis, devenire ad hæc extraordinaria media, vel non, vt à Tridentino docebamur; expressè itèm ab VIII. Synodo Generali acti. 10. can. 11. cautum habemus, cum conceditur in Synodo Univerfali *sciscitari*, vel ad ritè penetranda examinare reverentèr, dubia circà Ecclesiam Romanam concernentia, *Non tamèn (conceditur) audactèr sententiam dicere contra Summos Senioris Romæ Pontifices.*

129 Nec deterrent Augustini, Hieronymi que testimonia: loquitur quippè Augustinus, vt minùs irregulare proponendo Concilium Univerfale coactum à Papà, Donatistis petentibus Particulare coactum ab Imperatore; illud verò non vt necessarium, sed pertinaciæ connivendo ex parte, cum & de Imperatorio irregulari Concilio, adiungat ibi S. Doctor, tandem habitum esse, *Non quia iam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens (Imperator), & omnimodò cupiens tantam impudenciam cohibere*, modo illo se gessit; Hieronymus autèm non de

Fide,

\* Duvalius *sup.* p. 1. §. 3. *questio.*



Fide, vt supra, loquebatur, sed de ritibus, aut consuetudine, in qua quidem pulchra potest in Ecclesia esse variatio, & laudabilior haberi, quæ vniversalior; *Quia in vna Fide nihil officit consuetudo diuersa*, vt ad nostrum Leandrum aiebat Gregorius M. lib. 1. ep. 45.

130 Nec magis deterrent exempla Pontificum errantium, & primitus à Centuriatoribus collecta liberaliter: vno verbo, nullum ex illis probat, Papam ex Cathedra docentem in Fide vnquam errasse, quicquid sit de lapsu privato; Liberium quippè captioso Formulari privatim subscripsisse, breuì postea in se revertendo, non est docuisse vt Papam aliquid Arianismi; Honorium sui vt privati suspicionem lavasse, simulando se contentire Sergio in literis familiaribus ad ipsum, non est docuisse Monothelismi aliquid vt Papam. Gregorius, nobis III., C. *Quod proposuisti* 32. q. 7. sanè intelligitur cum Glossa ( licet Gratianus errorem illi tribuat, scilicet in epistola privata ) C. *De libellis* dist. 20., imò iuxta ipsum, vel potius iuxta Gregorium M. C. *Requifisti* 33. q. 1., si accipiatur, vt oportet, de nupta cum infirmitate impotentia Matrimonium antecedentis. Tandem quòd Ioannes, vt privatus Doctor opinativè tantum se gesserit, vt plurium testimonia mittamus, testatur qui postea verum definiuit Benedictus XI. in sua Extrav.

131 Nec deterrent, non nisi fictitiæ, Pontificum de se ipsis confessiones; Gregorius quippè nihil tale timuit de se deficiente vt Papa, sed vel opinando privatim, vel inconsiderata verba mittendo extra casum definiendi, alias in *Concilijs*, vt in testimonio allegabatur, nempe adhuc in consortio Concilij Generalis, errare in Fide potuisset; Adrianus certè vt Doctor privatus, dum in minoribus esset, loquebatur, postea verò vt Papa contra Lutherum plane vt infallibilem se gessit. Iure debito Henricus Spondanus, \* excultissimus Historicus, & florens Gallia decus, inter alia censuit, meritò contraria quæque huic nostræ veritati reprobata esse à Martino V. in Constantiensi, *Vtpotè contraria & praxi antiquioris Ecclesie, & collata à Christo D. Petro authoritati.*

S V M M A.

132 **C**olligit V. Illma. D. ex dictis iustificationem suæ Appellationis ex eo, quòd vbi Pontifices Romani transiliunt limites suæ potestati præfixos, licitum & sanctum sit resistere ipsis, & potestate superiori excessum corrigere, factò per Appellationem recurru ad Concilium Generale; nunquam verò strictius quam ad præsens, remedium hoc evadere necessarium, & legitimum.

G

133. Pro

\* Spondanus ad annum 1415. n. 21. & 54. & annum 1418. n. 5.

133 Probat V. Illma. D. iuxtà priùs dictà, & breviata mo-  
 do in hunc discursum: vel crimen est Episcoporum, non bene instru-  
 torum de sensu Bullę alicuius, & de quo certificari debent, pro in-  
 structione Fidelium, postulare à Papà Declarationes; vel est iustitię  
 defectus in Papà, illas recusare. Pars prior tendit contrà lumina con-  
 spicua rationis; superest ergò pars posterior. Atque hic iustitię defe-  
 ctus motivum est prius, ipsum que potissimum, etsi non vnicum ap-  
 pellandi, ait V. Illma. D., sed aliud accedit ex multiplici operatione SS.  
 D. N. contrà Æquitatem, Innocentiam, & factatiora iura Episco-  
 patùs.

134 Ad quod observat V. Illma. D., quòd cum Pręlati 40.  
 per viam iudicij Constitutionem acceptassent, Clemens tamèn 17. Mar-  
 tij 1714. in suo Brevi ad ipsos per oppositum expressit, *Vos palàm,*  
*& sapius professi fuistis, non quidèm animo subiiciendi examini, aut*  
*iudicio vestro Decreta nostra, &c.*; quod est Episcopos habere pro  
 meris Executoribus Decretorum Apostolicorum, contrà illud Act. 20.,  
*Quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Observat  
 V. Illma. D. proximè accessisse Inquisitionis Romanę severissimum  
 Decretum, damnativum Mandatorum, quibus Declarationes postula-  
 bantur; silentio verò transmissum illud est à Pręlatis, ad quos atti-  
 nere poterat, vtpotè Decretum à Tribunali nullius consequentię ad  
 Galliam. Observat V. Illma. D., in deterius proficiente silentio, mo-  
 deratione que prædictà, SS. D. N. 20. Nov. 1716. Literas expe dijs-  
 se ad omnes Antifites Gallię, in quibus Declarationum postulatio ha-  
 betur pro crimine contrà Infallibilitatem, per hæc acerba verba, &  
 in Prævaricatores, Hæreticos ve magis propria: *De ijs qua definita*  
*sunt tractatum inire, quid est aliud quam de adeptis gratiam non re-*  
*ferre, & ad interdicta Arboris cibum improbos appetitus mortiferę cu-*  
*piditatis extendere?* Hic querelę non sine clamore: Vbinàm error, à  
 nobis retentus? Vbinàm Dogma Fidei Catholicę, per nos oppugna-  
 tum? Quibus in rebus deviamus nos à Patrum nostrorum Tradi-  
 tione? Vbinàm Accusatores contrà nos? Observat V. Illma. D., tunc  
 quatuor ex Confratribus suis arripuisse viam Appellationis; se cum  
 alijs, etsi ad appellandum propensis (& parata interim Appella-  
 tio, inscijs Authoribus, in lucem transfusa est), abstinuisse à proposito ac-  
 cepto, aures præbendo novis ad pacem medijs, zelo Principis Re-  
 gentis vrgente; atque tunc Inquisitionis Romanę Tribunal, ad nor-  
 mam quarundam Bullarum huiusmodi Appellationes prohibentium,  
 damnavit editas omnes in re præsentis Appellationes. Observat V.  
 Illma. D., media pacis denuò inventa fuisse, convenientibus, vt fa-  
 ctum est, coràm Principe Regente Pręlatis, scilicet Declarationes con-  
 fice-



ficere tam Acceptantium, quam non Acceptantium consensu; sed nihil profecit, allquibus Contratum recusantibus subscribere, loquelam que loquentibus Romanam, vnde & Roma prævaluit. Observat V. Illma D., prodijisse tunc Literas incipientes, *Pastoralis Officij*, datas omnibus Fidelibus 8. Sept. 1718.; sed ab omnibus Regni Parliamentis animadversum est in Litetas præfatas, non modò ex defectu formalitatis, sed etiàm ex detecto inibi conatu suprâ Temporalem auctoritatem, contrâ Sacrorum Canonum dispositionem, & contrâ principia Iuris Divini, & Naturalis.

135 Approbat, & probat hæc V. Illma. D.; quandoquidèm clamant principia Iuris Divini, & Naturalis, inauditâ parte neminem esse iudicandum, & Papa iudicium tulit, condemnationem que in Appellantes, ipsis non auditis, & neque præstante ipso Declarationes, nec novitèr oblatas approbando; Canones ferè cum Ecclesiâ coævè præscribunt, neminem Episcoporum Romæ iudicandum nisi per Appellationem, priùs verò per Provinciæ propriæ, affinis ve duodecim Episcopos, & Papa in Appellantes iudicium primò tulit, & condemnationem Romæ vt proprio Tribunali; Canones volunt, ne facilè in Episcopos acceptetur accusatio, & vt Accusatores, Testes que compareant, de crimine constet, cui pœna sit proportionata, quorum nihil cum de Appellantibus ità se habeat, ipsos tamèn Papa separat deinceps à communione cum S. R. E., & omnes hortatur, Antistites, vt similiter à consortio cum illis abstineant; omnes Canones auctoritate donant Appellationis viam ad Concilium, & Papa restringit ad solam suam Personam Ecclesiæ absolutam potestatem, declarando, ipsismet Appellantibus notum esse, hanc viam à se, & à S. R. E. palàm, atquè perpetuò damnandam, atquè execrandam esse; omnes Canones agnoscunt Episcopos esse Iudices doctrine, nunquam Pontificia Constitutio acceptata fuit Galliæ sine præmissis examine, quod & præcessit ad Constitutionem, *Vnigenitus*, cum Declarationibus ab Acceptantibus præmissis, & Restrictionibus appositis à Parliamentis, Papa verò deijcit à iure suo Episcopos, damnat omnem sivè Declarationem, sivè Restrictionem, imponendo *debitam, & omnimodam obedientiam*; repugnantibus intimando, *Quòd quasi peccatum ariolandi est non obedire, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere*; deniquè potestas Pontificia non extenditur directè, nec indirectè ad res Temporales, & tamèn Papa insectatur auctoritatem Magistratum sæcularium, & crimini vertit, ac dehonorationi Ministrorum Ecclesiæ, Iustitiam ab illis implorasse. Quæ cum ità sint, simul cum styli amaritudine amarissima, non modò excessus notorij arguit suam Santitatem V. Illma. D., sed etiàm innotescere inquit, crimen quod in se convertit indignationem

„nem Patris communis; non esse contra Fidem Catholicam obstina-  
 „ri, sed oppugnare Infallibilitatem Pontificiam, tueri proprias Liber-  
 „tates, & Maximas Regni,

## C O N V E N T I O,

136

**Q**uoniam, ut in proverbio, est opposita iuxta se posita  
 magis elucescunt, nusquam dilucidior nobis æquitas  
 SS. D. N. elucet, quam ubi V. Illma. D. tam mul-  
 tiplicem iuxta opponit umbram iniquitatis. Atque ut primum in Dilem-  
 mate oculos defigamus, adhuc missa parte sua priori, nondum liqui-  
 da posterior; quandoquidem superesse medium potest, potest sine cri-  
 mine postulare Subditus, & tamen iuste Superior non acquiescere, cum  
 hæc sit natura Subditi, etiam in his quæ sibi æqua videntur, Superio-  
 ri subdi; hæc natura gratiæ, sic posse peti, ut citrà iniuriam denegari  
 possit; hæc natura Filij morigeri, ad Parentis optimi rigidam quoque  
 increpationem, severum ve silentium, paratum esse. Ab anno decimo-  
 tertio Pater Summus in terris repugnantium Filiorum de sua Consti-  
 tutione querelas per dies, & annos accepit, penetravit, modò silens,  
 modò postalata negans ut inutilia, modò increpans inobedientiam non  
 filialem; quid, & quando expediat, sic tacere vel loqui, paternæ sit  
 curæ non levis, Patri relinquamus, compatibles potius, quam inviden-  
 tes, si Magnum, & expertum Gregorium, in Petri Sede loquentem,  
 audiamus li. 1. epist. 24.: *Cum me ad considerandum debitum Pastoris  
 verbum, ac silentium confero, paventi curâ perpendo, quòd valde ne-  
 cesse est, ut & discretus sit in silentio, & utilis in verbo, ne aut ta-  
 cenda proferat, aut proferenda reticeat.*

137

Rursus verò ad suspensam priorem dilemmatis partem, non  
 sine discernendi vi, revertamur. Crimen utique nullum, si Episcopi, ac-  
 ceptata spontè Bullà quavis Pontificià in materia Fidei, & morum, de  
 supervenientibus fortè dubijs ergà sententiam consulere S. Sedem, parati  
 ad instructionem, vel ad recusationem; ac nolle interim acceptare Bul-  
 lam, nisi Declarationes, vel etiam Restrictiones, aut melius Revoca-  
 tiones, extorqueantur à S. Sede: hoc quòd à V. Illma. D. videtur illiba-  
 tum dici, criminis loco est in conspectu Pontificis Romani, nec diffite-  
 tur, paucis exceptis, tota Præsulum Ecclesiæ corona, vocatur que, ut  
 minimum, crimen inobedientiæ. Quòd si nollemus, mandata nostra Epis-  
 copalia sic male haberi ab individuis Cleri nostri; cur non egrè feren-  
 dum respectu nostri à Summo Præsule? *Qui ergò quibuslibet scit se esse  
 prepositum* (aiebat egregiè Leo M., ordinis hierarchici amans usque ad  
 unicam Sedem suam, epist. 84. ad Anastasium c. 11.), *non moleste fe-*



rat aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat.

138 Nihil violatæ iustitiæ detegimus, nihil Æquitatis læssæ, Innocentiæ, Iuris Episcopalis. Quòd Prælati 40. non per viam iudicij, & examinis, sed per *rationabile obsequium*, vt verissimè SS. Clemens affirmat, Constitutionem acceptaverint, vt Inferiorum conditio fert, ambigere par non est; nec enim posuit nos Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, nisi vt animata membra Capiti subordinata, vt Iudices Executores, vnice iudicaturos de re quæ præcipitur, non, an rectè, vel non rectè præcipiatur: nec dedignemur Organo Spiritus Sancti præstare cæcam in hoc sensu obedientiam, quæ respectu etiã cuiuslibet alterius Prælati tantoperè per Patres commendatur: per pijsimum Bernardum, intèr alios, vbi ser. 1. de conv. S. Pauli ad illud, *Apertis oculis nihil videbat*, exclamat: *Felix cæcitas, quæ malè quondam illuminati in prævaricatione, tandem in conversione oculi salubritèr excacantur.*

139 Quod annuente SS. D. N. Inquisitio Romana damnaverit Mandata pro Declarationibus, si nullius ad Galliam, est magne consequentiæ ad S. Sedem, eo pacto vtentem iure suo, & commonstrantem, ne tacitè quidè m consentire acceptationi relictantibus: non movemus litem de titulo, quo Galli se deobligatos censent à Decretis Romanæ Inquisitionis; at si non ex vi legis, pondere tamen suæ authoritatis, proximè ad Summam, non est à quo magni haberi non debeant; cum & inferiori forsàn titulo Declarationes Cleri Gallicani suspiciamus omnes reverentèr, quandò non deprehenduntur à S. Sede discrepare.

140 Quòd nihil proficiente condemnatione Inquisitionis Romanæ contra Declarationum prætextu Non-Acceptantes, Literas agravatorias immediatè Apostolicas expedierit SS. D. N., eosdem stimulans ad obediendum; quid in hoc irregulare? Obediendum esse Decretis Apostolicis, quandiu per superius Tribunal non reformarentur, ipse qui fallibilem docere præcipuus nifus est Romanum Pontificem, Ioannes Gersonius vester, indubitandum fatebatur; & qui sustinere tenetur Infallibilitatem suæ Sedis Romanus ipse Pontifex, obedientiam vrgere non poterit? si verba sint acerba, eccè ipsissima prolata quondam fuerant à disertissimo Magno Leone epif. nobis 79. ad Leonem Imperatorem contra eos, qui nolentes conformari cum eo, *quem Apostolica Sedes direxerit*, post definita novos instituire tentabant tractatus: hæc est inobedientia, quæ si non Testibus in iudicio notatis, at evidentia facti compertissima constat ex nomine proprio Non-Acceptantium subscriptis Actis: hæc, quæ ut inobedientia enormis retunditur, nec sine Textu Error contra Catholicum Dogma pronuntiari posset cum Nicolo II., sic per Petrum

trum Damianum Legatum suum C. *Omnes* dist. 20. ad Mediolanenses loquente: *Cum ille vocetur iniustus* (qui cæteris Ecclesijs non obedit), *hic proculdubio est dicendus Hereticus* (qui Ecclesiæ Romanæ non obedit); *Fidem quippè violat, qui adversus illam agit, quæ Mater est Fidei.*

141 Quòd Inquisitio Romana damnaverit, ad normam Bullarum huiusmodi Appellationes execrantium, exurgentes modò Appellationes ad futurum Generale Concilium; de plano est, iure suo vri: Bullæ notorię sunt Martini V. coràm Concilio Constantiensi, teste Gersonio ibi præfente, Pij II. in Extrav. *Execrabilis*, Iulij II. in Extrav. *Suscepti*, omnium que post Gregorium XIII. in Die Cæne Domini quotannis; & mirum, si non modò Censuræ, sed etiàm imbitæ hic Declarationes à Gallis nihil habeantur, vt vel ex ipsis notat eruditus Raynaudus, \* quoad Bullam quoquè Cæne.

142 Quòd novæ conficerentur Declarationes, ipsę que Constitutionis restrictivæ, alterativæ, aut prorsùs revocatorivæ, & à non aliter facientibus locum Acceptationi; cur probari debuit à S. Sede, suis que Alumnis? vel enim, vt egregiè SS. D. N. expressit, erat in fundo dicere id ipsum quod Bulla, proindè que supervacaneè; vel aliud, quod est eludere definitionem: *Intelligent, supervacaneam se se operam dare novis Fidei suæ formulis compingendis, &c.*

143 Quòd cum nec Inquisitionis Romanæ iteratæ damnationes, nec Literæ Apostolicæ ad omnes Antistites Galliæ quicquam proficerent, accesserit nova SS. D. N. Constitutio (cur enim non eo titulo suspiciantur Literæ illæ ad omnes Christi Fideles?), *Pastoralis officij*; quid non dignum Pontifice Romano? Ictum autèm eludere, vel clypeo, aut potiùs gladio Sæculari, vel novis animadversionibus novam Constitutionem castigando; id ab omni Catholico alienandum, mirum quod iustitiæ nomine à Præsulibus Orthodoxis obtendatur.

144 Iure suo vsus est SS. D. N., iure Naturali, vel Divino minimè prætermisso; constat quippè in conspectu Orbis, per dies & annos patientissimas adhibuisse aures Parti Non-Acceptanti, contrectavit que sub Declarationum prætextu inobedientiam subsistere, quam opus erat conterere antè omnia. Iure suo vsus est SS. D. N., vt Canonum non dissipator, sed ex munere Custos: nam quicquid quondam Canones, pro Africanà præsertim Ecclesià, præscripserint de Causis Episcoporum, ultimus vïgens que status, signante prævia Canonica monumenta complurima Tridentino sess. 13. c. 8. de Refor. sess. 24. c. 5. de Refor., Causas Episcoporum, præcipuè Maiores aut graviore, ad Pontificem Romanum

\* Raynaudus *Opus. Iplè dixit, punc. 7.*



manum immediatè refert ; atque id ipsum ex privilegio valdè sibi optabili obtinuit à Nicòlao I. Hincmarus Remensis, alias non legnis pugil pro Libertatibus Gallix ; imò in Concilio Basileensi , Pragmaticà Sanctione , Concordatis que , nomine *Majorum causarum* , sic à Gallia receptum semper est.

145 Iure suo usus est SS. D. N. , cui fas est procedere vel *ex officio* , aut per *inquisitionem* , seu *denuntiationem* , quin præsumptio sit defecisse à regulà ultimò præscriptà in Tridentino cit. sess. 13. c. 6. & 7. ; neque latum vnguem excedit , anathemati subijciendo inobedientes , sed se se conformat Prædecessorum continuæ traditioni , promulgatè gravissimè à Gregorio IV. in epistola ad Gallix , omnes que alios Episcopos , ut habetur c. 2. dist. 12. ibi : *Præceptis Apostolicis non durè superbiam resistatur , sed per obedientiam , quæ à S. R. Ecclesià , & Apostolicà auctoritate iussa sunt , salutiferè impleantur ; si eiusdem Dei Ecclesiæ , quæ est Caput vestrum , communionem habere desideratis.*

146 Iure suo usus est SS. D. N. , cum sit planè fictitia illa per Canones agnita , sit que patens in medio illa per Canones reprobata ad Concilium Generale Appellatio : *Novam quandam rationem vidimus* , inquit Testis , & Gallus , & vix Pontificius , Illustrissimus Marca , \* in initium illi tribuens à disidijs Philippi Pulchri , *in Ecclesiam invecctam ab ijs , qui se Romanæ Curix Censuris premi existimabant , scilicet appellationem à Papæ decreto ad futurum Concilium.* Et S. Gelasius I. c. 16. & simili seq. , 9. q. 3. : *Ipsi sunt Canones , qui appellationes totius Ecclesiæ ad huius Sedis examen voluere deferri ; ab ipsa verò nunquam prorsus appellari debere sanxerunt.*

147 Iure suo usus est SS. D. N. , compellendo ad debitam , & integram obedientiam , iuxta eiusdem sui Prædecessoris Gelasij cum 70. Patrum Concilio Romano declarationem : *Decretales Epistolas , quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab Vrbe Romanà pro diversorum Patrum consultatione dederunt , venerabiliter recipiendas.* Nec nisi per somnia vigilantium venire posset in mentem Inferiorum , quacunque Episcopali Dignitate fulgentium , examinare , iudicare que cum facultate reprobandi Superioris Decreta , maximè quoad Fidem & mores ; de facto autem persistere in non acceptando , quin & reprobando huius indolis Decreta , nil mirum , quòd à S. Sedis Præsule inobedientia illa censeatur , quæ in Sacris Literis 1. Reg. 15. peccato ariolandì , & idolatriæ sceleri æquiparatur : quoniam , ut ibidem exposuit Magnus Prædecessor Gregorius , non modò ad horam repugnando , & itatim non recipiendo , sed etiam acquiescere nolendo ; *sic nolle acquiescere quid est ,*

\* Marca lib. 4. sua Concordia c. 17. n. 1.

est, nisi & iniuncta obedientiæ repugnare, & in eiusdem repugnationis obstinatione persistere?

148 Iure suo usus est SS. D. N., sive criminando in Magistratibus, quod quovis prætextu impedierint usum Ecclesiasticæ potestatis in purè spiritualibus, imò in re Fidei, sive deterius in Prælati, quod in id ipsum stimulent Magistratus: vbinàm pro tali modo procedendi Canones Sacri, pro quorum tuitione institutæ dicuntur Gallicæ Libertates? Vbinàm vel in Concordatis umbra iuris, quæ talia nec civiliter honestet? Vbinàm Libertas, & non potius Servitus Ecclesiæ Gallicanæ, quæ non pudet Prælatos, Parentis manu contemptâ, Principantium ad pedes devolui? Honestius ex Galliæ Theologis Duvalius \* de Appellationibus dictis ab abusu, statuebat, *nunquam intentari, aut admitti pro definitionibus Fidei, & morum, sed tantum pro questionibus facti peculiaribus*; honestius ex Galliæ Iurisperitis Illustrissimus Marca \* admonebat, *carundem Appellationum prætextu Curijs supremis non licere, ut de negotio principali, quod est merè Ecclesiasticum pronuntient, usum que contrarium alienum esse à mente Veterum Principum, & Regum Christianissimorum.*

149 Si non sine amaritudine paterna sonet increpatio, benè est; non debuit ex nimia lenitate in Filios inobedientes punibilis à Deo evadere cum Heli Pontifex Pater. Si ut obtineat obedientiam, Romanus Pontifex suam sustinet infallibilitatem, benè itè; non hoc contra, sed iuxta Libertatem, & Maximas Ecclesiæ Univerſalis, imò & veræ Ecclesiæ Gallicanæ, saltè ut non dudum anno 1626. in Comitijs Generalibus Præfules dignissimi, totam suam Ecclesiam hortabantur ad condignam erga Romanum Pontificem venerationem per hæc, inter alia: \* *Venerabuntur Item SS. D. N. Papam, ... vno verbo Petri Successorem, in quo Apostolatus, & Episcopatus initium habuere, & super quem Iesus-Christus fundavit Ecclesiam suam, illi, Claves Cæli committens, cum Fidei Infallibilitate, que miraculose visa est durare immutabilis in Successoribus suis usque hodiè.*

§. IV.

\* Duvalius sup. p. 2. q. 1. § 3, certum est.

\* Marca in Libello prævio ad suam Concordiam pag. 23.

\* Apud Camus sup. lib. 9. c. 10. Responderont assi nostre saint Pere le Pape ... en un mot Successeur de Saint Pierre; auquel le Apostolat, & le Episcopat ont eu commencement, & su le quel Iesus-Christ à fondè son Eglise, en luy baillans les Claves du Ciel, avec le infallibilité de la oy, que la on a veu miraculeusement durer immuable en ses Successeurs, iniques au jur de huy.



## §. IV.

## S U M M A.

150 **A** Rt, 4. aggreditur V. Illma. D. fidentèr ostendere ;  
 quàm sint debiles probationes, quibus Constitutio,  
*Vnigenitus*, erigitur in Regulam Fidei. Ad quod duo præmittit V.  
 Illma. D. Alterum est, consensum vnanimem, vel quasi vnanimem  
 Ecclesiæ dispersæ Vniuersalis in Regulam Fidei erigere quamlibet de-  
 cisionem. Alterum est, hanc esse in præsentì quæstionem ; an verificetur  
 huiusmodi consensus vnanimis, vel quasi vnanimis Ecclesiæ disper-  
 sæ Vniuersalis ergà Constitutionem.

151 Prius illud exponit V. Illma. D., modo quo inquit esse  
 principium certum, & à nullo Catholico negabile ; cum etenim Ec-  
 clesia dispersa Vniuersalis sit æqualis authoritatis cum Ecclesiâ  
 in Concilio Generali legitime congregatâ, consequenter consen-  
 sus illius ad aliquam decisionem, per consensum vnanimem, vel qua-  
 si vnanimem Episcoporum dispersorum accedens, eiusdem est robo-  
 ris, Fidelibus necessitatem se se submitendi adducens, ac decisiones  
 Concilij Oecumenici ; quo pacto eadem inspiratione, ac Spiritus San-  
 cti assistentiâ, quâ Ecclesia congregata definit, huius Tribunalis de-  
 fectu adoptat Ecclesia dispersa, Pape, Conciliorum Provincialium,  
 aut Nationalium, imò Episcoporum privatorum iudicia, quæ illo per-  
 fecto consensu eriguntur in iudicium irreformabile Ecclesiæ Vniuersa-  
 lis ; \* tandem quippè Concilia non aliâ ratione pro Oecumenicis ha-  
 bentur, nisi per vnanimem, vel quasi vnanimem consensum Ecclesia-  
 rum particularium ; vndè Ecclesia Vniuersalis, nunc dispersa, nunc con-  
 gregata, non duplex, sed vnicum est Tribunal, quin possit interponi  
 Appellatio ab vno ad aliud.

152 Circâ posterius prænotatum statim, contra insistentes pro  
 parte affirmatiuâ, resolvit pro negatiuâ V. Illma. D. quæstionem, vt  
 rem facti, constantis, & publici, quasi demonstratiuè proferendo,  
 partem illam affirmatiuam oppugnari I. ab omnibus Episcopis, qui  
 repugnarunt Acceptationi Constitutionis à momento, quo ipsa com-  
 paruit. II. à non exiguo numero adhuc Prælatorum, qui eam accep-  
 tarunt. III. à famosioribus Vniuersitatibus. IV. à pluribus Capitulis con-  
 siderabilibus. V. à sapientioribus Communitatibus Regularium. VI. à  
 complurimis Parochis, & Ecclesiasticis, pietatis, capacitatis que no-  
 toriæ.

H

torix.

\* Pag. 37. En fin les Conciles ne son reconnus pour Oecumeniques, quo par le  
 acceptation vnanime, ou presque vnanimie des Eglises particulieres.

## C O N V E N T I O.

153 **H**æremus, velut Scyllam intèr & charybdim, ad utri-  
usque scopuli conspectum; nescientes, quo titulo bi-  
na præmissa basis tanquam pura notoria veritas, & iuris, & facti  
iactetur.

156 Hæremus in eo, quòd consensus vnanimis, vel quasi vna-  
nimis Ecclesiæ dispersæ Vniuersalis, erigat in regulam Fidei quamlibet  
decisionem. Quid nomine huius consensus accipiendum? an vnanimis  
vel quasi vnanimis consensus omnium Fidelium cum Papà, vel sine Pa-  
pà, vel præscindendo ab ipso? an omnium cuiusvis ordinis Fidelium;  
vel solius, aut præcipuè, ordinis Episcopalis? an ità vt consensus præ-  
cisè indicium sit decisionis, quæ iam antea sit decisio Fidei, vel quæ  
per consensum prædictum, vt verba sonant, in regulam Fidei eriga-  
tur, aut constituatur? an ità, vt adhuc præcedente Concilio Generali;  
similiter in ratione talis illud constituatur, non nisi per vnanimem, vel  
quasi vnanimem consensum Ecclesiarum particularium? an rursus ità,  
vt supposità Papæ, vel Concilij, etiam Vniuersalis, decisione ad Fidem,  
aut mores, ad integrum robur acquirendum à libero Fidelium consen-  
su pendeat, sub novo iudicio, novo examine ab illis præstando, id  
que liberè, vtpote ad libitum, aut saltem ex causà, potentibus dissen-  
tire, atquè quæcumque decisionem Fidei evacuare? Oportebat evol-  
visse tam multa hæc; quæ si evolvantur, hæud principij nomine, imò vix no-  
mine veritatis opinatiuæ donanda ea censemus.

157 Consensus Fidelium, si est cum Papà, exttà rem obtendi-  
tur; si est sine Papà, eo tacente, vel etiàm contradicente, non nisi chi-  
mericè poterit esse vnanimis, vel quasi vnanimis consensus Ecclesiæ dis-  
persæ Vniuersalis. Consensus cuiusvis ordinis Fidelium, cum nec ad Con-  
cilia Generalia ritè celebrata exigatur (& hæc insignis prærogativa Epif-  
copatus, potiori titulo, quàm aliæ fictitiæ, semper & enixè sustinen-  
da), inanitèr, & non nisi ad turbas oportunè, in Ecclesia dispersà exi-  
geretur. Consensus vnanimis, vel ferè vnanimis Ecclesiæ, dum liquidò  
constat, si præcisè indicij loco sumatur, optimè est; si regulam consti-  
tuendo Fidei, est quasi per fabulam Caput in pedes, pedes in Caput  
transformare; atquè dum in ancipiti sit consensus ille optandus, est  
Ecclesiam carere certà, visibili, animatà, & vnà regulà Fidei, ad gus-  
tum pravum Hæreticorum. Consensus, si expectandus vnanimis ab Ec-  
clesijs particularibus, vt Concilium quoquè Vniuersale in ratione talis  
con-



constituatur; non modò est contrà rationis lumen, seligere Orbis Catholici Senatium, vt hic ab imperitioribus postea iudicetur, sed etiàm est inconsequenter primas dare Tribunali Ecclesiæ dispersæ, non relinquendo in sic dispersà æquale, non vnicum Tribunal cum congregatà Ecclesiâ; & est superflue magis, quàm agnoscendo Papam infallibilem, exigere Concilia Generalia, prorsus que inconsequenter ad futurum aliquod ex ipsis; tanquam ad infallibile Tribunal appellare. Consensus Fidelium, si liber, iudicialis, & evacuare potens sit quamlibet aliàs etiàm Fidei factam decisionem; est magis in aperto collocare summum illud monstrum, & vivam Fidei regulam, credenda tradituram, à Capite deijcere ad pedes incredibili deformitate.

158 Gravissimè nobis quidè Eximius Theologus Suarez \* admonebat, non esse totius Ecclesiæ docere, sed doceri, non credenda tradere, sed tenere; quandoquidè, vt præcipuè patet in statu laicorum, non est docere capax, ideò que docere definiendo ex Cathedra, quod pertinet ad clavem scientiæ, non est à Christo D. commissum toti Ecclesiæ Corpori, sed Capiti. Hoc spiritu ducta Concilia quoque Generalia, docuere totam Ecclesiam, debere ipsam stare vt infallibilibus Pontificis Romani decisionibus, quin vel eadem Concilia ventilare auderent Pontificias huiusmodi decisiones, tanquam reformabiles, vt ab VIII. Synodo can. 21. docebamur: *Non tamen audacèr sententiam dicere contrà Summos senioris Romæ Pontifices.* Hoc spiritu ductam esse antiquitùs Ecclesiam Gallicanam, tanquam ad infallibile Tribunal recurrendo vltimò ad Sedem Apostolicam Petri, testificabatur egregiè S. Leo I. epif. 89. ad Episcopos Viennenses; vbi posito, Dominum præ cæteris Apostolis commississe Fidei doctrinam Petro Apostolorum omnium summo, *Vt ab ipso quasi quodam Capite dona sua velut in Corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate discedere,* iubiungit: *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestra etiàm Provincia Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, &c.* Hoc spiritu ducta recentior Ecclesia Gallia anno 1626., vt videbamus, in Petri Successore agnoscebat Clavium potestatem, cum Fidei infallibilitate; postmodum que anno 1653. de iudicijs, à Summis Pontificibus latis super Episcoporum consultatione, similiter agnoscebat, *Divina equè, ac summà per Vniverjam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium prestare teneantur.*

\* Suarez disp. 5. de Fide S. 6. n. 9.

159 Sed quia placet V. Illmę D. loqui potius cum Gallia recentissima, sivę vt per suam Vniversitatem Parisijs edixit anno 1662., non esse doctrinam, nec dogma suę Facultatis, quod *Summus Pontifex, nullo accedente Ecclesię consensu, sit infallibilis*; sivę vt magis resolutorię per suum Cęterum edixit anno 1682., in Fidei quęstionibus non esse irreformabile Summi Pontificis iudicium, *nisi Ecclesię consensus accesserit*: conveniamus modò in hoc requisito ex abundantia. Hęcimus autem denuò in hoc, quod tam asseveranter pronuntietur, huiusmodi consensum Ecclesię vnanimem, vel quasi vnanimem ad presentem Constitutionem non adesse; cum oppositum eliciatur ex facili, & modò quidem exceptionibus elidendo probationem, aut potius asseverationem improbatam à Testibus.

160 I. etenim omnes Episcopi Non-Acceptantes fuere prius Acceptantes, vt visum est, atque adeò consentientes, antè quàm lis moveretur de sensu eliciendo per Declarationes; Testis autem modò affirmans, modo negans, quid refert? maximè cum & modò Non-Acceptantes, non sint omnes Episcopi Cętus Parisiensis, aut Cleri Gallię, sed numero longè inferiores. II. videre iam cępimus, Acceptantes verè, purè, absolutè, fuisse, ac modò esse Acceptantes, proindè que consentientes. III. Famosiores ne sint Vniversitates, quę dicuntur Non-Acceptantes, difficilis est probationis, & invidiosę cęteris; hoc scimus, omnium famosissimam in Gallia prius acceptavisse, quanquàm post obitum Magni Ludovici, cum reduces fierent in Facultatem, qui exulabant ob non sanam doctrinam, pluralitas eruperit in palinodiam. IV. Capitula, vt par est credere, cum Præsulibus numerabuntur pauciora, & varia, in Non-Acceptando. V. an sapientiores sint, & sanà quidem doctrinà, simul & observantiores Communitates Regularium, renuentes obedire, in materià definitivà Fidei & morum, Prælato Summo suorum Pręlatorum, à cuius Sede, vt rivuli à fonte, suę quoquę Religiones emanarunt; Ecclesia censebit. VI. De pietate, capacitate que Parochorum, & Ecclesiasticorum, dicimus id ipsum; aut saltèm comparativè tam hos, quàm Non-Acceptantes Regulares, pręvalere numero, & auctoritate Acceptantibus, quis probare, vel etiàm assumere audeat? VII. Nescimus de Parlamento Summo, & par est id ipsum pręsumere de cęteris, revocasse, quam semel adhibuit, Acceptationem; etii sub protestatione quädam, nihil faciente ad definitionem doctrinalem; & licèt Arresta multiplicentur ob non servatas, nescimus quas, subtilitates Iuris prætensi Nationalis. Quibus accedit, hunc totum censum sistere intrà Galliam; quid verò extrà per totam Ecclesiam Dei? Et præterea, quemadmodum in Concilijs Generalibus, sic etiàm in sensu Ecclesię Vniversalis eliciendo, nulla vel exigua ratio de cęteris, tota vel præcipua saltem



81  
salcem, de solis Episcopis habenda est, quos *Spiritus Sanctus posuit*  
*Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. 28.

S V M M A.

161 **A**gnovit hoc V. Illma. D. ; quà de causà vnicè iam  
Episcoporum habet rationem, vt probet consensus  
defectum ergà præsentem Constitutionem in Ecclesià dispersà Vniuer-  
sali. Comparat ergò U. Illma. D. Episcopos congregatos in Conci-  
lio Generali, cum Episcopis in Ecclesià Vniuersali dispersis ; & quas  
pro illorum legitimis definitionibus regulas inquit præscriptas, easdem  
præscribit pro consensu legitimo istorum : quia tam Ecclesià congrega-  
ta, quam dispersa, suam obtinet infallibilitatem ab assistentià Spiri-  
tus Sancti ; hæc tamèn assistentia ordinariè non inest Episcopis per viam  
inspirationis, \* aut revelationis, sed per viam examinis, atque discussionis.  
162 Imò tres Regulas recenset V. Illma. D., tres ve conditio-  
nes, Examen, Libertatem, & Vnanimittatem ; has fundat præcipuè in  
Bullà Pij IV. confirmatoria Tridentini, vbi definita omnia dicuntur,  
*summà libertate, diligentia que, atque omnium qui interfuerunt, con-*  
*cordià ; & nisi eadem regulæ obseruentur, quantumvis magna sit plurali-*  
*tas pro decisione, Infallibilitas deerit, siue congregati, siue dif-*  
*feri Episcopi sic censeant.*

C O N V E N T I O.

163 **Q**uandiu non devenerimus in vnicam, vivam, visibi-  
lem, postremam Fidei regulam, quæ velut in Ly-  
diò lapide in Petrà fundamentali, Petri Successore,  
Romano Pontifice constituatur ; in vanum censemus adornari, &  
multiplicari omnes alias regulas, esse que in irritum querere ignotum  
per ignotius. Extrà rem nostram prætermitti debuisset, quicquid ad Con-  
cilia spectat Generalia, vt evadant legitima ; quia tamèn placuit V.  
Illma. D. explorare id quoquè, liceat tantisper id ipsum explorare.

164 Quòd assistentia Spiritus Sancti ordinariè non inest Con-  
cilijs per viam inspirationis ( mittamus viam formalis revelationis, quæ  
vtiqvè regularis non est ), sed per viam examinis ; & contra superius  
dicta deprehenditur ; \* & contra quod in Concilijs asseritur eà suà phrasi  
perpetuà, *In Spiritu Sancto legitime congregata ; & contra indolem*  
actus

---

\* Pag. 38. Or le S. Eprit ne conduit pas dans le cours ordinaire les Evêques à la  
connoissance de la Verité, par la voye de le inspiration, &c.

\* Pag. 37. Ce est par la même inspiration, & par la même assistance du S. Eprit  
que le Eglise assemblée prononce ses jugemens.

actus supernaturalis, qualis oportet esse Conciliaris definitio, prælucente divina inspiratione: nec inspiratio & examen contraponuntur, imò vt divina providentia, in protegendo Ecclesiam ab omni erroris lapsu connaturalius eluceat, debet ordinariè saltem, vt fatemur, mutuis vicibus examen cum inspiratione convenire.

165 Tres item regulas datas agnoscimus, si ritè declarentur, & tandem à memoratà per nos Regulà postremà, quam præ cæteris oportet notificari Ecclesiæ, robur vltimum capiant. Debet utiquè in Concilijs intervenite discussio, vel examen gravissimum, vt internoscatur, quæ sint proximè definibilia, quæ non, quæ oporteat definire actu, quæ præterite; hoc totum ad normam instructionis Pontificiæ, nec examinando de prævijs Pontificum (quemadmodum Conciliorum, & Scripturæ decisionibus, quæ sic etiàm, non aliter discutiuntur) decisionibus, an veræ, sed an sint definite. Debet etiàm intervenire Libertas in Concilijs; sed Libertas, vt exactè notat Pallavicinus, \* quæ vim, iussionem, minas & promissa excludat, non quæ Patres faciat acephalos, & Papæ non subordinatos: vnde nec laxanda libertas ad revocandum sive Pontificiè, seu aliter, iam definita. Debet insuper intervenire Vnanimitas; sed si plena obtineri nequeat, à pluralitate sumpta sat erit, & maximè, quæ Papam annumerat.

166 Hæc intervenisse in Concilijs, constat Ecclesiæ vno verbo, si à Papà confirmantur, nequè aliter liquido constasset; ideò formale distinctivum Pseudo-Conciliorum à Concilijs hoc semper habitum est, approbatio vel reprobatio Pontificiæ; ex. c. Liberio reprobante, in auras evasit amplissimum Ariminense Concilium, sub quo, vt Hieronymus aiebat dial. adver. Luciferianos, *ingenuit totus Orbis, & Arianum se esse miratus est.* Nec necessaria omnia, quæ singulari Dei beneficio in Tridentino inventa sunt; in quo præterea, licet confectis semel definitionibus, nullus obstinatus est Patrum, tamèn, vt ex suà Historià notorium est, inter definitiones præparandas passim iudicia scindebantur in plus, minus ve adversas partes.

167 Hæc cum ita sint de Concilijs, voluntariè trahuntur, prorsus quæ absurdè ad Ecclesiam dispersam; alias vt Concilia ipsa reciperentur ab Ecclesià, & vt acceptatio dispersorum Episcoporum reciperetur a Cleris suis, & vt Cleri cuiusvis acceptatio reciperetur à laicis, opus esset in singulis novo Examine, novà Libertate, novà que Vnanimitate omnium: quod paradoxum est. Satius, & Sanctius Pius IV. in suà præallegatà Bullà confirmatorià Tridentini, confirmatione semel promulgatà, convertitur ad exigendam à cæteris, sive Prælati, sive qui-

\* Pallavic i. lib. 24. *Hist. Trid.* c. 14.



quibuslibet, obedientiam præcisè, gravissimis Censurarum, & alijs poenis comminatis.

168 Nec est cur aliter Romanus Pontifex se gerat post definitionem, quæ à se solo extrà Concilium Generale fiat; imò nisi terminet ipse hoc pacto quæstionem quamlibet, ergà Fidem aut mores agitabilem, actum est de vnà Ecclesiæ Fide. Ideò egregiè inter Patres S. Cyprianus (antè quàm nouitil deficeret vt homo à se ipso, & à vero, in dissidio de Baptismo Hereticorum) epif. 55. aliàs lib. 1. epif. 3. ad Cornelium: *Non aliunde, inquit, hæreses oborta sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei (Romano Pontifici, vt Pamelius observat, & colligit frictè) non obtemperatur, nec vnus in Ecclesià ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* Nec minùs egregiè inter Theologos ille, de quo antè alios gloriari debuit Gallia, & Parisiensis Academia, Angelicus S. Thomas 2. 2. q. 1. ar. 10., vbi non modò statuit ex Decreto, & Textu Sacro, ad authoritatem Summi Pontificis pertinere finalitèr determinare ea, quæ sunt Fidei, vt ab omnibus inconcussa teneantur; sed hæc ratione probat: *Quia vnà Fides debet esse totius Ecclesiæ, secundum illud 1. ad Corin. 1. Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis Schismata; quod seruari non possit, nisi questio Fidei de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, vt sic eius sententia à totà Ecclesià firmitèr teneatur.*

### S U M M A.

169 **P**ER oppositam sibi stratam viam procedens V. Illma. D., probat per partes, cum Acceptationi Constitutionis, *Vnigenitus*, desint ea tria Examini, Libertatis, & Vnanimi-  
tatis requisita; impediri, quominùs debeat conspici Constitutio tan-  
quàm Lex irrevocabilis, promanans à Tribunali supremo Ecclesiæ  
dispersæ.

170 Probat que primò defectum Examini, à Regno proprio ad  
extera exiliendo; nec enim Episcopi Nationum reliquarum curam de hoc  
habent. Mittit V. Illma. D., quòd cum suprà sex-centi sint Episcopi  
alienarum Diocesum, ter-denorum testimonia duntaxat producantur à  
laboriosis Compilatoribus in favorem Constitutionis. Illud enixè ob-  
servatum facit V. Illma. D., tanquàm evidens quid adversus produ-  
centem; quòd ex ipsis productis testimonijs legenti constat, nihil ea,  
sapere discussionis, nihil examini, nihil collationis factæ cum Scrip-  
tura, Patrumque doctrinà; sed Episcopos extraneos maiori ex parte,  
Constitutione lectà, illi applausisse, vel dubitare habuisse loco crimi-  
nis, nomen Papæ in Decreti fronte legem ipsis obedientiæ cæcæ im-  
pa-

„posuisse, à Iudicum eisdem munere abstinuisse, ut in viles executores  
 „verterentur, solam Infallibilitatem Prælati huiusmodi normam extitisse.  
 „Suadebitur ne, ait V. Illma. D., Episcopis Gallix, Acceptationem in  
 „hoc principio fundatam, ideam implere, quam illi semper sibi for-  
 „marunt pro iudicio definitivo Ecclesiæ dispersæ?

## C O N V E N T I O.

171 **R**esumamus ab his ultimis terminis retorsionem, ni fallimur egregie, potiori titulo evidenter everivam probationis, quæ ut evidens iactatur. Ecce univèrsim omnes Episcopi exteri, sex-centi numero & ultra, contra quod Episcopi Galli vix supra centeni supponantur in ideam propriam induxisse, Constitutiones Pontificias, præsentem inter alias, ut meri executores acceptare dicuntur, nisi certo ipsis principio Infallibilitatis: ergò si de Univèrsali Ecclesiâ loquamur, ut quidè'm loquimur, pluralitatis regulatione factâ, longè maiori ex parte, vnius de septem exceptione præcisâ, unâ eadem que facti evidentia, non modò habetur unanimitati, aut quasi unanimitati consensu Ecclesiâ acceptasse præsentem Constitutionem, sed etiâ exceptionis loco non obstat fallibilitatem, cum potius in Ecclesiæ quasi unanimitati sensu principij loco sit Infallibilitas.

172 Porro nisi hoc ita sit, actum est vno verbo de omni retrò usquè ad Petri exaltationem Constitutione Pontificiâ, simul que de omni definitione Conciliari; nulla fuisset Acceptatio sufficiens, ob exceptionem infallibilitatis, quæ ut principium sanctum habita est univèrsim ab Ecclesiâ, & non nisi heri ac nudius tertius dubium excitante solâ Galliâ. Non ita pridem in Sacrà Tridentinâ Synodo, \* cum ad definiendum in terminis promoveretur affine dubium de Pontificis Romani prærogativâ supra Concilium Generale, convenere Patres longa pluralitate, nimirum ex decem partibus novem, in asserendâ definitive iuxta Florentinam, repugnantibus ex Galliâ paucis, & Lotharingi rogatu res in suspenso missa est; mirum, quòd nihilominus eadem prærogativa ferè, aut apertè contemnatur cum Authore propositionis 29. inter damnatas ab Alexandro VIII. In terminis Infallibilitatis Pontificiæ, responsuræ que obedientiæ indubitabilis ad Librorum Romæ damnatorum Censuras, Gallia quondam anno 570. in suo Nationali Concilio Turonensi II. can. 21. sic definebat: *Quorum Authorum valere possit prædicatio, nisi quos Sedes Apostolica semper, aut intromisit, aut apocryphos fecit? Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcepit autoritas.*

173 Nef-



173 Nescimus, quomodo nihilominus idea opposita *semper* in Episcopis Galliae prevaluisse asseratur; nescimus, quomodo Galli nuperi non cadant à Nationali nupera contentione, ad conspectum Africae, etiam dum florentissimae sub Cypriano, quae subsistere non potuit demum Catholica contra sensum Ecclesiae reliquae cum Papà; nescimus, quomodo ut vile nostrum erga Papam male vertatur ministerium de rei definitae merà executione, id quae ab illis, qui passim amant subesse Ministris Regijs, mirà exorbitantià in sacratissima quaeque mittentibus falcem. Sinant, nos cum suorum nupero Praelato nobilissimo \* improbare, quòd cum vix inter Catholicos reperire sit, qui ius Librorum prohibendorum Romano Pontifici neget competere, multi eius Censuram violantes, inobedientiae culpam obvoluere futilibus excusationibus conentur, obtendentes illam, sicut alia pleraque Decreta, vltra montes vim non habere; *Quasi Romani Pontificis potestas à Christo fuerit Alpibus circumscripta, vel Ecclesia monstruosum Corpus sit, cuius pars Capitis ductum sequi, altera se ipsam regere debeat.* Simile quidem improperebat acerrimè Donatilis S. Augustinus in psal. 101. conc. 2. in med., & alibi saepius. Ac ne cum solo Pontificio nupero ex Gallis audeamus, annumerandus ex Regijs Authoribus clarissimus alter; \* qui ad normam citati Turonensis Concilij, & ad praescriptum formulæ ubique Catholicorum consuetæ, Instituta Gallicanae Ecclesiae sequi se censet, dum omnia sua Opera *summo Sedis Apostolicæ iudicio* submittit.

174 Nec numerus ter-denorum insufficiens, pro testificando consensu omnium extra Galliam; quando, ut legere est in testimonijs productis, testificantur illi Praesules, omni quidem exceptione maiores, non de suo solo sensu, sed etiam respectivè de omnium Nationis suae consensu. Nec decet totum ferè Ordinem Episcopalem sic parvi habere, omnes nimirum Episcopos Ultramontanos sic aestimare icuius negotij praesentis, ut nesciant Quesnellium, doctrinae fundum non calleant, cum Scripturà, & Patribus, Propositiones non contulerint; conferre sic novimus, sed nec immemores doctrinarum, in Iansenio, Sequacibus quae, proscriptarum ab Ecclesia. Quà mente imbuti, sive vno verbo, sive taciti assentiamus promulgatae solemniter Constitutioni; hoc satis, super quae, non modò ut consensum praestemus aptissimum, quando extra Concilium non Iudices sumus, sed Executores qualificati; imò licet in Concilio Generali Iudices asideremus Papae, Legatis ve Pontificijs.

175 Quid obvium magis in Concilij, quam se ipso, vel per suos Legatos, Papam promulgare definienda, & Patres verbo vno con-

I

sen-

\* Camús sup. lib. 7. c. 18. n. 3.

\* Marca cit. Libello praevio pag. 23.

sentire? Sit exemplo Sardicense Generale, Præside ut Legato Papæ nostro celebri Osio Cordubensi, qui & præsedit Nicæno, cuius Appendix Sardicense; ibi omnes ferè Canones non aliter confecti, quam sub hoc initio, *Osius Episcopus dixit*, Patribus quandoquè tacitis, sèpè annuentibus simplicissimè: *Responderunt universi, Placet. Synodus respondit, Placet.* Affatim hoc in eo præsertim Concilio, quod Nicæni Appendix: affatim id ipsum hodiè ad Constitutionem, quæ Appendix præcedentium in negotio Iansenij. Nec omittendum, quod Conciliorum norma per Apostolos Act. 15. nos docuit; ibi Petro definiente, subiungitur, *Tacuit autem omnis multitudo*: atque hoc satis pro consensu, in conspectu adhuc primorum Episcoporum, qui repleti erant Spiritu Sancto.

## S U M M A.

176 **P**ROBAT secundò V. Illma. D. defectum Libertatis requisitæ, in illas præcipuè Provincias oculos coniiciendo, ubi Episcopi subsunt Inquisitionis Tribunali, cuius timor cordi iniectus, obstruit os, ne liberè sensa pronuntiet.

177 Ad hoc V. Illma. D. memorat, ut nulli non compertum, quàm sit prædicti Tribunalis authoritas absoluta, pœnæ ipsius severe, iudicandi forma irregularis; atque adeò conspectus periculi, cui exponitur, qui renuerit eius mandatis obedire, obiectum præbet Ecclesiæ disperse non minùs terribile, quàm in Concilio foret Imperatoris, aut Ministri Regij conspectus, qui terrores & minas impenderet suas, ad suffragia extorquenda: si ergo in Ecclesiâ congregatâ foret ille Regij terror canonicæ Libertati contrarius, pariter alius Inquisitorius in Ecclesiâ dispersâ.

178 Ponderat V. Illma. D. ut evidens de hoc ipso testimonium illud Ediçtum Cardinalis de Iudice, tunc Inquisitoris Generalis Hispaniæ, pro Acceptatione Constitutionis, *Vnigenitus*; quod cum allegetur inter testimonia Ecclesiarum extrâ Galliam, transtertur modò à V. Illmâ. D. ad convincendam prædictam exceptionem; glosatur enim rigor iniectus minarum adversus cuiusvis Ordinis Personas, intimatio submissionis cœcæ, atquè inter alias corporis, & animæ pœnas, comminatio 200. ducatorum, quâ consulitur utilitati propriæ temporali S. Officij.

## C O N V E N T I O.

179 **A**T in Provincijs extrâ Galliam, ubi extrâ Episcopos Inquisitores nulli, videnam probatur defectus Libertatis.



bertatis? Et ubi Tribunal viget Inquisitionis, ut in Hispaniâ nostrâ maximè omnium; undenam habetur, Episcopos Tribunali subesse? Nihil minùs, imò scire facit Spondanus, \* vix in Tridentino tentatum esse id genus nonnihil, cùm ad quorundam Episcoporum reluctandi speciem omissum ultro est.

180 Promulgatio Constitutionis per Inquisitorem Generalem in Hispaniâ, facta est de more; deficit verò evadendæ authoritatis via, quando alia non est, quàm opponere non æquitatis exceptionem adversus sacram Regni Catholicissimi consuetudinem, regularem, canonicam, materiæ conformem. Agitur de re iam definita per S. Sedem, de re secundum Canones iam irreformabili, de re ad Fidem, & mores attinente: Quid regularius, quàm libertate postpositâ, & exerendo vires imperij, obedientiam solam intimare? Præstò vobis est ratio, & quidem eleganter expressa, in præmio allegati Concilij Turonensis II.: *Magna est enim in ipsâ severitate pietas, per quam tollitur peccandi facultas; nam ubi insana libertas generat vulnera, Sacendotalis districtio dat medelam.* Quæ autem severitas in Ecclesiæ quovis Tribunali tritior, quàm in rebus momenti comminari Censuras, mulctam que pecuniariam? Quin glossare id sinistrè popularitèr que, sit congruum insultæ sacræ severitati; minùs que illorum, qui coràm, nec ingrato suæ plausibili libertati spectaculo vident, subesse laicis Iudicibus passim Episcopos, & in rebus quantumvis spiritualibus, mandata sua revocari, lacerari, flammis addici, nequè leves extrahi mulctas pecuniarias. Fate-mur, excessus posse committi ab omni humano Tribunali; corrigendi tamen sunt non à Subditis, sed à Superiore, vel à Deo: dissonum cuique, abusus Ecclesiasticos velle corrigere per laica Tribunalia; quasi ea sola sint incapacia abusuum, ea sola suprema, ea sola superiora vel Sede Petri.

181 Nec decet Virum in ordine nostro constitutum, Inquisitionis Tribunal, maximè Hispanum, figurare lineamentis ad vulgus malignè datis; Tribunal est, erectum ab illà Sede, ad quam Causæ Maiores, ut capitalissimè Causa est Fidei, notorio Iure attinent; Tribunal est, quod amico fœdere associatum Episcopis, nos levat onere omnium maximo, nullo vel minimo dispendio honoris; Tribunal est amico etiàm fœdere S. Sedis, & Regum Catholicorum ita feliciter erectum, ut memorato ipsius in Hispaniâ initio, expresserit cum Marianà vester Spondanus: \* *Ab hoc initio res in hanc authoritatem crevit, atque potestatem, quâ nulla pravus hominibus toto Orbe Christiano formidabilior est, Reipublica univèrsa maiori commodo.* Tribunal est, quod an-

\* Spondanus ad annum 1563. n. 54.

\* Idem ad annum 1478. n. 17.

terius in Concilio Tolosano ad vestram Galliam egerat radices; fructus dederat, S. Dominico strenuo agricolà, adversus Albigentium pestem saluberrimos, eodem Historiographo teste; \* posterius verò, non sine condigno elogio, experientià ipsà decorato, invidit Hispaniæ nostræ pro suà Gallià vester Consiliarius Regius Floremundus. \* Tribunal est solo summo secreto formidandum, solà relaxatione obstinatorum ad sæculares Iudices formidabile; quòd enim postmodum Hæretici relapsi fune pereant, pertinaces igne, Iuris nostri Civilis lex, & praxis est. Quàm sancta, exemplo suo notum fecit Constantiense Concilium, tantì habitum in Gallià præcipuè.

182 Atquè hinc eliditur, imò retorquetur intenta similitudo ex Concilijs: quemadmodum enim, etsi libertas pro Concilijs desideretur, ut quisque sensum aperiat proprium antè rem definitam, secus definità iam re, ut Constantiense aperuit; sic Hispani nos censemus liberos ad opinandum inter hinc indè adiaphora, spontè ligatos ad veritatis definitæ fines non transiliendos,

183 Sat nobis cum totà ferè Ecclesià comperijsse, quòd sint veritates à Pontifice Romano definitæ; quòd non id satis aliquibus per Galliam, opinio est vix tolerata; dum non admodum refert, minimè autèm probata: *Cum multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitià non debeant tolerari.* C. Cum iam dudum de Præb. & Dignit. *Hæc autèm (ut ab oprimi iudicij Authore Gallo \* quædam, alijs prætermisissis, verba sumamus) non eò spectant, ut Inquisitionis exercitium in Gallià renovandum significem, sed ne sacrum illud Tribunal, Ecclesiæ tantoperè necessarium, & à quo Gallia ipsa maximos olim, uberrimos que fructus percepit, debità sibi apud Fideles reverentià careat.*

## S U M M A.

184 **P**ROBAT tertio V. Illma. D. Vnanimittatis defectum in Ecclesià dispersà; & sicut Examinis defectum, Libertatis que se invenisse iactat extrà Galliam peregrinando, cum doleat extrà Galliam Vnanimittatem indubiè semper prævalere (cum periculo Infidelitatem incurrendi, si quis Liberio, Honorio, Ioanni XXII. similis, Cathedram Petri conscendisset), ad suam revertitur in Gallià, ibi multifariàm ostensura Unanimittatis defectum, ob scissionem in partes,

\* Idem ad annum 1228. n. 11.

\* Floremundus de origine Hæresum p. 2. lib. 5. c. 6. n. 3.

\* Camus sup. lib. 10. c. 10. n. 9.



tes, aliorum Non-Acceptantium, nisi Papa Declarationes concessisset, aliorum Acceptantium respectivè ad proprias Declarationes, aliorum acceptantium independentè à Declarationibus.

185 De Non-Acceptantibus, quorum est U. Illma. D., fatetur, sexdecim solos fuisse ab exordio, sufficientes tamèn ad contestationem, quæ præscriberet contra progressum quemcunque; imò vel unus solus sufficeret ex illis, si nimirum se gereret, modo quo Liberius ante lapsum se gessit contra Imperatorem Constantium: opponebat Imperator, quòd ille solus tueretur Athanasium; reposuit que Pontifex, *Esto, quòd ego solus sim, non tamèn propterea causa Fidei sit inferior.*

186 De Acceptantibus itèm ait V. Illma. D. ( præterquàm & Libertatiq; obstitere non parùm binæ Literæ manu defuncti Regis expeditæ, aliq; vt Non-Acceptantes Episcopi reciperentur in proprias Diocæses, aliæ *iniungentes*, vt Acceptantibus conformarentur cæteri Episcopi per Regnum ), veram Vnanimittatem non conficere; licèt enim conveniant cum Papà in damnatione Propositionum; discrepant in sensu multipliciter.

187 Discrepant circa Excommunicationis Propositiones, quatenùs Galli omnes Episcopi tenent, Prælatos sui Ordinis, vtpotè Apostolorum Successores, accepisse immediatam clavium potestatem à Christo; Romæ autèm sustinetur, illorum iurisdictionem à Papà promanare. Discrepant, quatenùs Galli omnes Episcopi tenent, Excommunicationem, sivè iustam, sivè iniustam, eximere vnquàm Subditos non posse à iuramento fidelitatis ergà Principes supremos; Romani autèm, & in genere Ultramontani repellunt hanc nobis certam Maximam. Discrepant in Propositionibus de lectione Særæ Scripturæ, procedentibus iuxtà principia recepta Gallix, Romæ reiecta. Discrepant, quatenùs Constitutionem acceptarunt, non nisi relativè ad Declarationes sui Cætùs, nec nisi relativè ( si Fideles sint suæ Patriæ ) ad Restrictiones Parlamenti; Romæ autèm curæ non sunt huiusmodi sivè Declarationes, sivè Restrictiones. Discrepant, quatenùs sensus Gallix habitus pro genuino, violentus Romæ reputatur, & è converso; quo nulla essentialior exceptio ad regulam Fidei præfigendam.

188 Addit V. Illma. D., cum ex 25. Qualificationibus in Bulla cumulatis in Propositiones, nulla determinatè feratur in has, illasve Propositiones; hæc etiàm ex parte manere Fidei regulam non fixam. Cum que sibi opponat exempla Constantiensis Concilij, & Leonis X., Propositiones alias damnantium similiter indeterminatè *respektivè*; pro disparitate laborat V. Illma D., modò allegando sic fieri, quando est notoria respectiva determinata qualificatio, secùs quandò ambigua

„ambigua, vndè à Conciliò 24. & 41. Propositio qualificata est de-  
 „terminatè; modò asserendo, saltèm à Deputatis applicatas esse singu-  
 „lis omnium Propositionum Censuras determinatas; modò negando,  
 „acceptatas esse Galliæ vnquàm Censuras Pontificias, nisi applicatio de-  
 „terminanda constaret, vndè in causà Iansenij obtinere ab Innocen-  
 „tio X. Præsules Galli, quòd in 5. Propositiones determinata Censura  
 „exprimeretur.

„189 Demùm V. Illma. D. concludit, exemplo carere, quòd  
 „ob solam ambiguitatem, & obscuritatem Decisionum, & indetermi-  
 „natè Censuræ ferantur, & Declarationes fixæ denegentur; atquè hic  
 „casus præsens: in quo proindè adhuc ex Acceptoribus plures adhaere-  
 „re Appellationi Non-Acceptorum; alij meritis, quàm Sede sua cla-  
 „riores, falsi sunt, Constitutionem nondùm esse vt regulam Fidei agnos-  
 „cendam; vndè sapientè, & equè Rex 7. Oct. 1717. suo decreto, &  
 „suis postmodùm Arrestis Parlamenta declararunt, Causam nondùm  
 „esse finitam.

## CONVENTIO.

190 **Q**uid nobis fieret, nempè toti Ecclesiæ Vniuersali ex-  
 trà Galliam, si Pontifex in Petri Cathedra sedens,  
 non tamèn ex Cathedra loquens, aut erraret in Fi-  
 de vt homo privatus, aut errantibus adfaveret; respondemus facillè, con-  
 uerteremur ad monumenta vel ex Cathedra, vel ex Concilijs sub eius-  
 dem Cathedræ auspicijs pro veritate immobilia, & experiremur pro-  
 missionem illius, qui Successoribus Petri vt talis indixit, *Confirma fra-  
 tres tuos.* Quid si Pontifex, Liberio constantissimo similis, ex Cathe-  
 dra solus, vt quondam, contra totum Orbem loqueretur? Vbinàm tunc  
 Ecclesiæ Vniuersitas? Vndenam Galli, qui magis de Vnanimitate, quàm  
 de Petri Cathedra, sunt solliciti, Catholicam haurirent veritatem? Agnos-  
 camus oportet, in timore, & tremore pavidì, promissam esse Dei Ec-  
 clesiæ, Romanà Sede firmatam, firmitatem indelebilem; ac promissum  
 non esse Hispaniarum, Galliarum, aliarum ve Nationum Regnis, in ip-  
 sis Ecclesiam Dei perstituram; nec prodesse Vnanimitem, si discrepet  
 à S. Sede, vt Regna quæque maneant Catholica; totus Oriens, tota  
 etiàm Africa, totus ferè Septentrio, exemplo sunt miserando. Et ni-  
 hilominus curare nihil Vnanimitem Ecclesiæ Vniuersalis cum Papà, quia  
 Gallia fortè non coheret; ruina, & præcipitium est.

191 Nec verò in ijs miserandis rerum eventibus versamur, qui  
 nos cogant vel cogitare casus sic ominosos; Pontificem Romanum ha-  
 bemus, siuè in Personà suà, seu ex Cathedra, firmitate Catholicissi-  
 ma



mà conspicuum; pro casu Constitutionis cum tanto Pontifice vnanimis est consensus Ecclesiæ vniuersæ, saltèm extrà Galliam; in Gallia ipsa est quoquè sufficientissimè vnanimis consensus cum Papà, quin exceptiunculæ intentæ obstare possint. Paucissimi Non-Acceptantes, numero vix sexdecim contrà centenos, & vltrà, vt bonà venià V. Illmæ. D. loquamur, obstare non poterunt, ne longè prævaleat, si res verè Canonice agenda sit, Ecclesia Gallicana pro Constitutione; maximè cum, vt visum manet, illi quoquè antea cum fuerint Acceptantes, postea defecerint, modò Declarationum prætextu, modò Revocationem iavocando, quo satis aperiunt, non moveri eo spiritu, quo Ecclesia dicitur, & est, *Columna, & firmamentum veritatis. 1. ad Timo. 3. 15.*

192 Conferre se singulos cum Liberio fortissimum Pontificem agente, nimis multum est: nunquid enim poterit in vno quodam Fidei, eo que repugnante Pontifici, manere tota Ecclesia Visibilis? nunquid de illo, quemadmodum de Pontifice, in Petro dictum est: *Ego rogavi pro te: Super hanc Petram: Pascere oves meas?* Quòd si non nisi ad hominem, vt aiunt, casus vel dici, vel fingi potuit, de solo Pontifice Catholico contrà totum Orbem errantem; non nisi chimæricè prorsus, & implicatoriè, dici, vel fingi potest casus de solo aliquo Catholico Fidei. Nihil iucundius Hæreticis, si liceret cuique Catholicum se putare, vel dicere, quamquam singularem; nec prodesset, allegare pro se sanam doctrinam; quandoquidem, vt eleganter aiebat Salvianus lib. 5. de Proui. post init., *Nobis Hæretici sunt, sibi non sunt.* Levissima verò animadversio, quæ de binis Ludovici Magni Literis fiebat; huc enim spectat, quòd Principes verè Christiani sint, non Iudices, Executores tamèn qualificati, Decretorum Ecclesiæ: Decretum verò Ecclesiæ Gallicanæ nullum iure magis Canonice acceptum, quàm quod cum tanto Rege à magno numero Prælatorum postulatam à Papa est, & obtentum.

193 Nec in sensu, saltèm ad rem faciente, Acceptantes Galli Episcopi discrepant à Papà. Quid etenim ad rem nostram facit, quòd iurisdictio Episcoporum sit, nec ne, iuris divini? Hodiè opinio est, non modò Romanorum, sed non ignobilium extrà, & intrà Galliam, \* pars negativa; quondam in Tridentino, \* non modò à Patribus Gallicis, sed maximè ab Hispanis, pars affirmativa promotam est; lis est non modicè vocalis, cum certè sivè iuris divini, sivè humani sit, pendere debeat in vsu ab Ecclesiæ Capite, modo quo, seu Parochi, seu etiam omnis Presbyteri iurisdictio, licet fortè iuris similiter divini esse con-

ten.

\* Camus supra lib. 8. à c. 8.

\* Pallavic. lib. 19. hist. Trid. c. 6. & sapius.

tendatur, ab Episcopis in usu pendet: bene ergò Tridentinum \* certis terminis veritatem iurisdictionis Episcopalis definit, sub incertis tamèn terminis eandem veritatem reliquit opinionibus; in quibus convenit (contrà quod vnicè præsentis circa Excommunicationem Propositiones absurdissimè tentare possent), Episcopos ligari posse Centuris ab Episcopo Episcoporum; quid tertius in Traditione?

194 Quid itèm ad rem nostram facit, quòd Papa per Excommunicationem, aut aliter, possit eximere à iuramento fidelitatis ergà Reges? hodiè quoquè opinio est, non modò Romanorum, & aliorum frequens extrà Galliam, \* sed etiam intrà Galliam non ignobilium, pars affirmativa; nec saltem est Catholicè negabile, \* Fideles omnes, atquè adeò Christianos quoquè Reges posse coerceri iustà excommunicationem, quin allegabile sit pro Gallià privilegium, nisi vt sui Reges à solo Papà excommunicentur; ac certè supponere, iustam excommunicationem esse posse, non tamèn id posse, quod iubet, aperta est implicatio.

195 Quid ad rem nostram facit Galliæ consuetudo pro lectione Sacræ Scripturæ? cum illa, vt vidimus, sit vnicè posse lectionem hanc fieri vulgarem, sub certis conditionibus; quæ consuetudo tam Romæ, quàm alibi generatim, non admittitur ob non similes circumstantias, nisi sub certis conditionibus; Propositiones censuræ, sine conditionibus, & vbiq; debere illam lectionem vulgari nitebantur: quid in hoc negotij?

196 Quid insuper ad rem nostram facit illud de Restrictionibus, ac Declarationibus? Vidimus quoquè ab Acceptantibus absolutum fuisse adhibitum consensum, etiam doctrinales subdendo Declarationes, Magistratum que Protestationes permittendo; nil mirum, quòd solius Acceptationis meminerit Roma.

197 Quid ad rem nostram facit, quòd fingant plures, pauci ve, nullus verò ex sincerè Acceptantibus, alium esse Romæ, alium Galliæ sensum? Vtrobiquè, atquè vbiq; sensus damnationis est sensus obuius ad mentem Authoris; si qui non convenient in eo ipso magis doctrinalitèr exponendo, nihil detrahit à veritate credendà Fide, vt iacet; cum habeamus passim dubia similiter variè solubilia in Textibus Sacris, quin definant esse in Fidei regulam aptabiles.

198 Similitèr; quòd opinativè maneat aptabilis variè doctrinalitèr singulis Propositionibus vnaquelibet ex tam multis Censuris; minime

\* Idem lib. 24. c. 14. n. 12.

\* Camús lib. 4. à c. 8.

\* Idem lib. 10. c. 3.



nimè tollit, nè in regulam Fidei trahantur, vt sonant, quatenùs determinatè in omnes cadit saltèm minima Censura omnium, & indeterminatè in aliquas censurę reliquę. An expediat, & quandò, quã formã, & quibus ex causis, Censuras apponere determinatè, vel indeterminatè respectivè; nostri non est, sed Iudicis supremi labor, & prudentia. Quòd fortè minùs certitudinis eveniat in modò, quàm in substantiã Decisionum, & eã de causã Fides de substantiã requiratur, relinquendo modum doctrinę opinabili; nec absurdum est, nec novum, sed in exemplis adductis pervium: nescimus que, cur prætermittatur liquidius aliud in Propositionibus damnatis contrã Baium, paritèr obscuris ex parte, paritèr sub censurã variã indeterminatè respectivè.

199 Quòd Non-Acceptantibus accesserint, à se ipsis deficientes, aliqui ex alijs; quòd que alij nolint Constitutionem esse regulam Fidei; est plùs minùs ve idem, quod hactenùs, & pauperis est numerare pecus. Adhuc Non-Acceptantium Pars extat longè minor respectivè etiam ad Galliam, longissimè minor respectivè ad Ecclesiam Vni-versalem; nulla deprehenditur exceptio non futilis; nullus manet locus tergiversandi, admissio etiam, quòd ad regulam Fidei requiratur consensus Ecclesię. Signatur peremptoriè, ni fallimur, ex 28. inter alias Lutheri Propositiones, damnatas à Leone X. in suã, utiquè receptã, *Constit. Exurge Domine*, ibi: *Si Papa cum magnã parte Ecclesię sic, vel sic sentiret, nec etiam erraret; adhuc non est peccatum, aut heresis, contrarium sentire, presertim in re non necessariã ad salutem, donec fuerit per Concilium Vniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum.* Peccatum ergò, imò hæresis est, sentire contrã sensum Papę cum magnã parte (à fortiori que cum longè, ac longissimè maiori parte) Ecclesię; atque oppositum audere, Lutheranum est.

200 Nec ad decreta Regia, vel arresta Parliamentaria, quęcunque sint illa, spectat decidere circã Decisiones Pontificias; Augustinum præstat audire ser. 2. de verbis Apostoli, proferentem in statu simili Causę Pelagianorum, post definitionem Innocentij Pont. Rom.: *Inde etiam Rescripta venerunt, Causa finita est, utinam aliquandò finiatur error!*

## S U M M A.

201 **V**T V. Illma. D. deveniat postremò ad Appellationis scopum sibi præfixum; protestatur, non hanc Appellationis viam se arrepturum, sed aliam breviorẽ, faciliorem, securiorem que, si superesset pro Causã finiendã, & pro Veritate; protestatur, se inviolabilitèr Fidei Patrum suorum adherere, cęcè subie-

„ etum esse omnibus Decisionibus factis ab Ecclesiâ, & faciendis, promp-  
 „ tum que ad convincendum calumniâ quoscunque, suspicionis de ali-  
 „ quo Errore, vel violato Dogmate Catholico, notam sibi impacturos;  
 „ protestatur, suam acceptandæ Constitutionis, *Vnigenitus*, reluctan-  
 „ tiam esse vnicè nixam in oppositione, à se, alijs que sapientioribus,  
 „ & clarioribus Regni ex Corpore Sæculari, Regulari que Viris, in-  
 „ ventâ in tali Constitutione contrâ Ecclesiæ Doctrinam, & Tradit-  
 „ tionem.

202 Protestatur adhuc V. Illma. D., moveri se, vt ad au-  
 „ thoritatem Ecclesiæ legitimè congregatæ recurrat, tum ob iustitiæ de-  
 „ fectum in SS. D. N. recusante postulatas largiri Declarationes; tum  
 „ ob agendi duritiem, huic eidem adiunctam reculationi; tum ob infra-  
 „ ctionem à suâ Sanctitate commissam contrâ regulas Canonicas, Non-  
 „ Acceptantes iudicando Romæ in primâ instantiâ; tum ob violata prin-  
 „ cipia Iuris Divini, & Naturalis, eosdem damnando inauditos; tum ob  
 „ violata similiter iura Episcopatus, & Libertatum Gallix, legem impo-  
 „ nendo cæcæ ad sua Decreta submissionis; tum præcipuè ob Infalli-  
 „ bilitatem, quam sua Sanctitas stabilire vult, & V. Illma. D. cum  
 „ cæteris omaibus suis Confratribus sine conscientix propriæ dispendio  
 „ recognoscere nequit.

203 Interim affirmat V. Illma. D., nihil separaturum se, *Ne-  
 „ què altitudinem, neque profundum*, à communionem Sedis Apostolicæ;  
 „ nihil posse minuire suam venerationem, submissionem que Canonicam,  
 „ debitam Personæ sacræ modò sedenti; & fuisse præter intentionem, si  
 „ fortè in hoc suo Monitorio excessit terminos moderationis, suo exem-  
 „ plo præscriptæ ab illo, qui dixit, *Discite à me, &c.*

204 Prædictis ex causis, sancto Dei nomine invocato, colla-  
 „ tione factâ cum sui Venerabilis Capiculi Fratribus, consultatione præ-  
 „ missâ cum sapientibus, & pijs Theologis, innovando, confirmando  
 „ que Adhæsiionem Appellationi factæ ab Eminentissimo Noallio 3. Apr.  
 „ 1717.; erumpit V. Illma. D., in hæc verba: \* *Nos appellamus denuò.*

*me.*

---

\* Pag. 45. Nous appellons de nouveau en la meilleure forme, que il nous est possible, au  
 futur Concile General, tant de la Constitution, *Vnigenitus*, de notre Saint Pere la Pape Cle-  
 ment XI. du 8. Septembre 1713., que de tous les Actes ci dessus mentionnez. que il à fait, es-  
 pecialement de la Lettre adressee à tous les Fideles, qui commence par ces mots, *Pastoralis officij*;  
 comme aussi de tous ceux, que il pourra faire au preiudice de la Authorité superieure à la sienne,  
 qui est faicte de la Cause: Et demandant avec instance les Lettres nommees, *Ad Apostolos*, Nous  
 nous mettons, Nous, Notre Eglise, notre Clergè, tous les Fideles de nostre Diocese, & tous ceux,  
 qui ont adherè, & adhereront à notre present Appel, sous la protection de Dieu, du Concile fu-  
 tur, & de la sainte Eglise Catholique, Apostolique, Romaine, dans la communion, & dans la obéis-  
 sance de la qual Nous persevererons avec le njsistence du Ciel, jusques au dernier soupir.



„*miliori formà quàm possumus, ad futurum Generale Concilium, tam à*  
 „*Constitutione, Vnigenitus, N. SS. P. P. Clementis XI...., quàm ab*  
 „*omnibus ipsius Actis, maxime à Literis ad omnes Fideles, incipienti-*  
 „*bus, Pastoralis officij, sicut & ab omnibus, ab ipso factibilibus cum*  
 „*præiudicio Authoritatis superioris, à quà pendet hec Causa; instantèr*  
 „*que demandamus Literas cognominatas, Ad Apostolos; Nos que, no-*  
 „*stram Ecclesiam, nostrum Clerum, omnis nostræ Diœcesis Fideles, &*  
 „*omnes, qui huic nostræ Appellationi adhaeserunt, vel adhaerebunt, sub-*  
 „*mittimus protectioni Dei, Concilij futuri, & Sanctæ Ecclesiæ Catho-*  
 „*licæ, Apostolicæ, Romanæ, in cuius communionem, obedientià que per-*  
 „*severabimus Nos, Cœlo auspice, usque ad halitum extremum,*

## CONVENTIO.

205 **P**RÆsul amplissime, tales non sumus, qui de admissio Fr-  
 rore, vel violato Dogmate Catholico, V. Illmæ. D.  
 Personam arguere, nedum convincere præsumamus; sed fraternà  
 solùm, & quasi auriculari charitatis licentià commonemus, & in vis-  
 ceribus Iesu-Christi enixè oramus, vt à via inceptà, prorsus invià, &  
 non nisi ad præcipitium rectà, pedem retrahat, ne V. Illma. D. cum tot  
 Animarum satellitio tragediam agat in Ecclesia Dei.

206 Oramus V. Illmam. D., ut quam desiderat pro Causà fi-  
 niendà, & pro Veritate, viam breviorè, faciliorem, securiorem que,  
 præ oculis habitam, agnoscat; scilicet Obedientiam. *Sed dicit aliquis*  
*(vt loquamur in simili cum Gallia iubare S. Bernardo epif. 131. ad Me-*  
*diolanenses), Debitam ei reverentiam exhibebo, & nihil amplius; esto,*  
*fac quod dicit: quia si exhibeas debitam, & omnimodam; plenitudo si-*  
*quidem potestatis super universas Orbis Ecclesias singulari prærogativà*  
*Apostolicæ Sedi donata est,*

207 Oramus V. Illmam. D., si convincere calumniæ velit ob-  
 loquentes de se, vt quam verbo profiteretur, opere compleat, adhæsio-  
 nem Fidei Patrum suorum; modo nimirum, quo Ivo Carnotensis,  
 Bernardo in Gallia eadem paulò anterior (agendo de Investituris, pro  
 quibus steterat, re minùs immediatæ Fidei, quàm sit præsens) epif.  
 233. ad Henricum Abbatem, sic loquebatur: *Sententiam præcedentium*  
*Patrum, Gregorij VII. & Urbani II., quantum in me est, laudo at-*  
*que confirmo; quocumque autem nomine talis peruasio propriè vocetur,*  
*eorum sententiam, qui investituras defendere volunt, Schismaticam*  
*iudico.*

208 Oramus V. Illmam. D., vt quemadmodum sub aquis spe-  
 cie tenus fluctuantem remum, postposito visus testimonio, mentis acie

firmiter rectum deputamus; ita nimirum ne credat pietatis ementito in Propositionibus color, praestigiosa que irrectitudini Constitutionis, quae adinstar remi rectissimi feliciter in altum ducit Naviculam Petri: pia est impietas Authorem, alias Iansenismi obstinatissimi convictum, & sub fraudulentam Fidei protestatione nuper a nescio quibus tumultum, interpretari deteriore in partem, ut quondam Augustinus, contra Pelagium, Celestium, & Iulianum agendo, exemplo suo nos docuit: impia est pietas, pro sananda doctrina talis hominis, qualis describitur in consimili alio a S. Bernardo episc. 195. & 196. insanire in Censuram SS. Papae. *Quale est ergo, ait ille Pater, Summi Pontificis sugillare sententiam, & illam sententiam, cuius rectitudinem eius ipsius, in quem data est, etsi lingua dissimulat, vita clamat? itaque favere huic, Domino Papae contradicere est, etiam Domino Deo.*

209 Oramus V. Illmam. D., ne ita fidat suis pro appellando ad futurum Generale Concilium cumulatis motivis; expensa sunt omnia, & singula, & inventa minus, aut potius nihil habentia: terreat illud Dan. 5. 27. *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Non ibi proderunt Libertates, ut aiunt, Ecclesiae Gallicanae, non Appellationes ab abusu, & Arresta Parliamentaria: haec omnia nobis negotium perambulans in tenebris, nisi arctentur ad fines Concordati Leonem inter X. Pontificem, & Franciscum I. Regem Christianissimum; imo ad praesens quod attinet, teste vix Pontificio Illustrissimo Marca, \* soli Anglo-Britanni, postquam ab Ecclesiae communione descierunt, agi apud Principes de Causis Fidei consueverunt, *Pragmatici vero Gallicani a Fidei quidem definitionibus Principum cognitionem submovent.*

210 Oramus V. Illmam. D., ut coram Deo censeat, fieri ne possit, a Communionem Sedis Apostolicae minimè separari, & in veneratione debita Personae in ea sedenti non minui, si cadat obedientia: saltè ad mentem magni nostrae Hispaniae Doctoris Isidori, \* nos aliud capere non possumus, quam quod ipse aiebat: *Qui igitur debitam ei (Pontifici Romano) non exhibet reverentiam obedientiam, a Capite se iunctus, Acephalorum Schismati se reddit obnoxium.*

211 Oramus V. Illmam. D., ut pro sui, nostri que Sacri Ordinis primi Dignitate sanius sibi consulere dignetur, exemplo nupero Illustrissimi Tenelon, Archi-Episcopi Cameracensis, quo nullus doctrina, nullus pietate clarior in Gallia vestra; & tamèn cum & suum Mysticum Opus, & 23. decerptas ex illo Propositiones, satis in specie pias obscuras que, non leviter censuratas videret a SS. D. N. Innocentio

XII.

\* Marca in Libello praevio ad suam Concor. pag. 23.

\* S. Isidorus episc. 8. in edit. Matrit. ad Eugenium.



XII. in sua Constit. *Cum aliis*, edita 12. Martij 1699., ipse tam ab-  
 fuit à repugnando acceptationi, ab appellando ad exquisita remedia, &  
 similibus, vt in sua Pastoralis dicti Decreti damnativi promulgatione sub-  
 diderit hæc, inter alia, gemmea verba: *Itaque ex toto corde nostro hor-*  
*tamur vos ad submissionem synccram, & omni exceptione seclusa docili-*  
*tatem; ne insensibilitèr alteretur simplicitas obedientiæ ergà S. Sedem,*  
*cuius Nos, divinà gratià comite, volumus exemplo esse usquè ad extre-*  
*mum halitum vitæ.*

212

Oramus V. Illmam. D., vt seriò recogitet coram illo, qui  
 iudicaturus est vivos, & mortuos ( modo quo in Concilio Rhemenfi  
 Patres admonebat vividè seu Bernardus, \* seu alius ), quid sibi ve-  
 lit postremò cum suis post non-acceptationem interponendo Appellatio-  
 nem. Quid sibi vult Appellatio ad futurum Generale Concilium? quo-  
 modò appellatio ad Tribunal, quod non est, nec scitur, futurum ne  
 sit, nec futurum aliquandò legitimum, nisi congregante, prasidente,  
 confirmante Papà, de quo ad Concilium appellatio? vbinàm Canones  
 præscribere formam sic appellandi? quandò visæ sunt istiusmodi appel-  
 lationes, nisi vel in Schismaticis Orientis, aut etiàm Occidentis, vel in  
 ruentibus in Schismata? quomodò Schisma vitabile, quandò hinc Pa-  
 pa cum maiori Ecclesiæ parte, indè pars longè minor, inter se nolint,  
 aut nequeant communicare, Censurarum iètibus, aut sæculari gladio  
 percussæ? qui sunt in Concilio verba facturi pro Ecclesià congregatà,  
 nisi qui, exceptis paucissimis, vel taciti reverentèr, vel audacter voca-  
 les, modò iam clamant pro Constitutione? quis hæreticus cancer ser-  
 pere per totum Ecclesiæ Corpus non posset, si tam tardo, aut nunquam  
 perficendo molimine, veniendum esset ad ferrum, aut ignem? quis  
 ille, cuius est doctrina, Præsbyter cum Sequacibus, vt propter illos,  
 Orientis, & Occidentis Synodus congregetur? Orbem quippè Catholicum,  
 quoniàm Domino eis resistente, pervertere nequeunt, saltèm commovere  
 conantur; vt de similibus aiebat Augustinus. \* Quid sibi vult, Pasto-  
 rem inferiorem extrahere se à Pastore Summo, nec modò se, sed etiàm  
 Ecclesiam suam, suum Clerum, omnes suæ Diocesis Fideles, & omnes, qui  
 sibi adhaferunt, vel adhaerebunt? ad hoc ne Speculatores constitui su-  
 mus, vt clamemus contrà illum, quem constituit Dominus singularem  
 Speculatorem Domus Israel? hoc ne liberum à morte proprià, & alie-  
 nà? sanguinem verò aliorum de manu cuius Dominus requiret? quis  
 non vereatur SS. D. N. cum Augustino \* in hæc verba increpantem?

Non

---

\* Serm. ad Clerum in Conc. Rhem. ex dubijs inter Opera S. Bernardi.  
 \* S. August. lib. 4. conerà 2. epif. Pelagian. fine.  
 \* S. August. hom. 24. inter 50.

*Non parcis, non parco, adversaris, adversor, resistis, resisto; lucta nos comparat, sed causa separat; tu inimicus es medico, ego morbo; tu diligentia mea, ego pestilentia tua.*

213 Quid sibi vult, se subtrahendo à Papà, se submittere protectioni Dei, Concilij futuri, & S. Ecclesie Catholicae, Apostolicæ, Romanæ? Nunquid Deus sine Vicario suo in terris? Nunquid futurum sine Præsidente Concilium? nunquid Sancta Ecclesia sine Sanctissimo? nunquid Catholica sine totà ferè ipsà cum Papà? nunquid Apostolica sine Domino Apostolico, Romana sine Pontifice Romano, ac demùm Corpus sine Capite? Longè alio spiritu S. Hilarius de Petro, qui adhuc in Clemente vivit, ad nos clamans aiebat: \* *O beatus cœli ianitor! cuius arbitrio claves aeterni aditus clauduntur, cuius terrestre iudicium præiudicata auctoritas sit in cœlo; ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant & in Cœlo.*

214 Quid sibi vult, perseverare in communionem, obedientiam que illius Ecclesie, cuius Rectori summo quis non obedit? à cuius item & Petræ fundamentalis, & columnarum, ac murorum communionem, imminet sibi cum ruinà paucorum segregatio? Faxit Deus, ne iam invisibiliter evenerit, quod imminet visibiliter? Inimicus ille homo, qui superfeminavit zizania Civilia inter fœderatissima Regna, ille est, qui zizania doctrinæ superfeminavit in agro Regni Christianissimi, contermino Regni Catholici. Faxit cordium cœlestis Seminator, ut solum semen sui verbi prævaleat, & fructum ferat centuplum. Faxit Deus ille, qui fortis, & Princeps pacis, ut quemadmodum in Civilibus illucescit, ita & in Sacris Pax inclarescere pergat usquè ad perfectum diem. Faxit Sequestre Matre suà, quæ sicut Hæreses cunctas, sic & semina Hæresum Schismata, sempèr sola interemit in universo Mundo: Iconem benignissima quondam anno 83. sæculi 12. per rusticorum largita est Episcopo, in quâ imago Filij, Matris que visebatur, sub epigraphæ; *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.* Sic tunc pax arrisit, ut fertur \*, Mundo Catholico; per dissidia Principum, & per Schismatis scissuras ferocienti: sic modò in votis mihi est, Pastorum minimo, ad te magnum Antistitem supplicij per Dei Matrem.

215 Ut que finem imponamus onerandæ patientiæ V. Illmæ. D., sit clausula verè aurea, quam vsurpare liceat mutuatam à S. Petro Ravennate. \* *In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, ut bis quæ à*  
Bea-

\* S. Hilar. in Matt. c. 16.

\* Card. Bona li. 2. rerum Liturgicarum c. 16. n. 5. ex Supplem. Sigberti.

\* S. Petrus Ravennas epif. ad Eutychetam.



*Beatissimo Papà Romane Civitatis scripta sunt, obedienter attendas; quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & vivit, & presidet, prestat querentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & Fidei, extra consensum Romane Civitatis Episcopi, Causas audire non possumus. Incolumem tuam dilectionem Dominus tempore longissimo conservare dignetur. Data Burgis in Aedibus nostris Archi-Episcopalis, Aprilis die 15. anno 1720.*



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.













A  
1